
6.

MEDICAMENTORVM
SIMPLICIVM
ET FACILE PARABILIVM AD CALCVLVM

Enumeratio,

Et quomodo ijs vtendum sit breuis Institutio.

Auctore HENRICO a BRA, *Frisio,*
Medico Reipubl. Campensis.





FRANEKERÆ,
Apud Ægidium Radæum.
cIↄ. Iↄ. XCI.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO D. GVILIELMO LVDOVICO, COMITI NASSOVIO,&c. Gubernatori Frisiæ ac militum Præfecto generali: Nobilissimis Clarissimisque viris Ordinum Frisiæ Delegatis, dominis suis clementissimis, summeque colendis.

ILLVSTRIS & *Generose D. Comes, Viri Amplissimi & Clarissimi, mirificam Dei sapientiam & bonitatem quæ testentur, innumera sunt tum in cælo, tum in terris documenta: adeo vt quaqua versum oculos coniicias, nulla mundi sit particula, nihil tam vile sit & abiectum, in quo non, velimus nolimus fateri, expressissima sapientiæ ac diuinæ gloriæ vestigia eluceant. Nam siue animæ essentiam tot præclaris dotibus insignitam contempleris; siue ad humani corporis structuram, connexionem, symmetriam, pulchritudinem, ac denique vsum animum intendas; siue ad perscrutandos Astrorum motus, Syderum constantissimos ortus, temporum vicissitudines oculos conuertas, non in his omnibus maxime spectabile bonitatis & sapientiæ Dei specimen apparet? Quorsum tot diuersæ herbarum effigies, tam diuersi earundem colores, sapores & odores varij, ac denique tam varia & discreta in illis recondita*

virtus & efficacia, nisi vt hinc infinitam eius sapientiam & bonitatem colligamus & admiremur? Sapientiam quidem, quod omnia a se condita tam apposite tamque bono ordine fabricata, æterna sua & inimitabili virtute fouet ac tuetur, atque ita, vt etiã minimas quasque res sua prouidentia regat atque gubernet. Bonitatem vero, quod hæc omnia propter nos homines condidit, quos tam indefessa benignitate prosequitur, vt iuxta paternam sollicitudinem prouidentiamque, quicquid vtile ac salutare illi prauidit fore, id totum præpararit. Circumsilit nos, vt inquit ille, morborum omne genus, circumferimus corpus omnibus morborũ telis expositum, ille iuxta diuitias misericordiæ suæ remedia monstrauit, quibus subueniri possit infirmitatibus nostris. Vix vllus morbus est, qui nõ habet sibi proprium aliquod ac peculiare remediũ, quo aut imminens auerti aut iam præsens possit depelli, modo suo loco, tempore ac debito modo administretur. Cui hoc nisi diuinæ bonitati acceptum ferre debemus? Exẽplo sit Calculus, qui sæuissima secum trahit symptomata, tam diros aliquando cruciatus infert, vt potius semel mori malint hoc ægrotantes, quam toties excarnificari. Videmusne leui aliquando cura, simplicissimo, & fere nullius momenti, remedio, quod vltronea natura

promit

promit (quæ ipsi Deo ancillatur) dolores illius etiam immanissimos sedari, imo aliquando omnino conteri & expelli? Ad eiusmodi rerum considerationem ducet hic libellus, in quo breuiter & succincte in subsidium memoriæ labascentis, & publicum commodum aliquãdo collegi ex varijs auctoribus, tanquam flosculos, selectiora remedia ad Calculum, eaque simplicia, & facile parabilia, qualia ipsa natura nobis e terra producit, nullo fere extraneo apparatu indigentia. Non, quod propterea cõtemni debent, quæ ab alijs ante me dicta sunt, aut eorum labores respui, qui post me tale aliquid sunt molituri: sed vt præter iam dictas caussas, amicorum votis, & crebris petitionibus morem geram. Libellus sit licet mole exiguus, tamẽ qualiscunque sit, aliquid vtilitatis ex eo sperandum erit. Quia contingit sæpe quod peregrinantibus, aut ruri degentibus, aut quibus res est angusta domi, non liceat semper Medicos accersere, vel quod remediũ aliquod accommodatum non sit in promptu; spero non omnino fore inutilem hunc meum laborem. Cui iucundum & gratum non erit, tot diuersa remedia simplicia, quæ cæteris paribus compositis longe præferas, eaque omnia facile parabilia ad hunc sæuissimũ morbum annotari? Si nõ arrideant, nec omnibus ex æquo placeant, conatus tamen in se non

malus, omnino diligendus atque laudandus est.

CUM *autem placuit hunc meum libellum in lucem dare, visum fuit eum, Generose Comes, Vosque Viri Amplissimi, nomini vestro potissimum inscribere, idque multas ob caussas. Tibi quidem illum offero, quod ex nominis tui claritate & familiæ splendore plurimum illi auctoritatis accessurum spero. Quis est qui ignoret virtutes tuas & res domi militiæque feliciter gestas, quæ causa sunt quod tu omnium fere consensu, & applausu Frisiæ nostræ præficereris. Nolo nunc enumerare virtutes tuas omnes, ne forte videar tibi adulari.*

Quoad familiæ tuæ Nobilitatem atque splendorem, quis est qui nesciat ADOLPHUM *Imperatorem ex hac tua familia prodiisse? Sed omissis maioribus tuis, ad patrem tuum Comitem Ioannem, & patruum Guilhelmum Aurangiæ Principem venio, quorum ille aliquot annis summa cum laude Geldriæ Ducatui, & vicinis Prouincijs præfuit, & primus Euangelicæ veritatis in ijs locis promotor extitit: ob multas heroicas virtutes longiori vita dignus. Alter propter summam prudentiam, rerum bellicarum peritiam, in aduersis constantiam, totius*

Belgij

Belgij aduersus Hispanum se præbuit fidelissimum defensorem, & Ecclesiæ Dei animo, corporeque, deniqueque fortunis omnibus multis annis propugnatorem. Deus bone, quantas ille miserias, quam graues calamitates, quot deniqueque exilia fideliter & constanter superauit? Verum de hoc præstat nihil quam pauca dicere: Tantæ fuerunt illius optimi Principis virtutes. Quem quia tu nomine refers, Generose Domine Comes, illum tibi, & quidem merito, tanquam exemplar, imitandum proponis.

VOBIS *autem, Viri Nobilissimi, hunc meum laborem dedico, sub quorum tutela in lucem prodeat; primum, quod iure hoc vobis debere videor. Quia si, vt inquit ille, nobis non solum nati sumus, sed & Patriæ & amicis, quibus iustius quam ijs meos labores nuncupem, qui in Patria honoratiori loco habentur; quosque ea sibi pro defensoribus & patronis elegit? Vos estis qui salutaribus consilijs, coniunctis animis & viribus vna cum Comite Guilielmo Rempublicam iuuatis, patriam ab hostium expugnatione incolumem & tutam tuemini. Vos Ecclesiam Christi multis periculis expositam defenditis,*

literis & artibus hospitia prabetis. Exemplo sit Franckerana Schola, quam tantis sumptibus instructam & tam multis doctis Viris exornatam reddidistis: Anne itaque & meum patrocinium deserturi eritis? Communis mihi vobiscum est patria, commune Religionis studium, quæ duo arctissima vincula sunt conciliandi & conseruandi fauorem & beneuolentiã vestram. Altera dedicationis caussa est, vt aliqua saltem ratione animum, studium & voluntatem meam erga vos & patriam meam absens declarem nam quotiescunque recordor, recordor autem sæpissimè, humanitatis & beneuolentiæ vestræ quam aliquando in mutuis colloquijs, & familiari conuersatione expertus sum, dici non posset quam mihi ipsi hoc nomine gratuler: certo mihi promittens, non minore affectu recipiendum hunc meũ libellum, quam me olim isthic agentem summo fauore ac singulari amicitia complexi ac prosequuti estis. Accipite igitur, Generose D. Comes, vosque Viri Nobilissimi, hoc meum qualecunque munus. Scio vos maiori dignos esse munere, sed illud me consolatur, quòd pro vestra Clementia & Humanitate, Artaxerxis Persarum Regis humanissimum factum imitati, animum donantis potius quam doni magnitudinem respicietis. Futurum sic, vt ad maiora aliquando

aggre-

aggredienda animum addatis. Christus conseruet vos omnes incolumes, ad Nominis sui gloriam & Patriæ incolumitatem. Valete.

Campis, ex Museo nostro, postridie Calendarum Septembris. Anno reparatæ Salutis millesimo, quingentesimo octuagesimo nono.

Celsitud. tuæ &
Vestræ Amplitud.
deditissimus

Henricus a Bra, Frisius, Reipub.
Camp. Medicus physicus.

Beneuolo Lectori Salutem.

DEDI nuper in lucem libellum meum de medicamẽtis facile parabilibus ad hydropem: quem quia pluribus vtilem fore animaduerti; operæ pretium quoque me facturum putaui, si & hic, qui de Calculo inſcribitur (in quo plura & diuerſa medicamenta ſimplicia & alexipharmaca ad calculum, partim ex bonis auctoribus collecta, partim a me, quæ tamen pauca ſunt, obſeruata complector) in lucem prodiret. Atque vt inde maior fructus ad te rediret, & medicamenta promptius in tuum vſum cõuerteres, bona methodo atque ordine iuxta alphabeti literas omnia digeſſi. Accipe itaque grato animo quod offero, & hoc meum qualecunque ſtudium pro animi tui candore boni conſule: nam in commune bonum confero, ijs præcipue commodaturum quibus ob rei familiaris anguſtiam, aut locorũ diſtantiam Medicos quandocunque opus erit, accerſere non licet. Non te offendat libelli tenuitas; futurum, ſi deus volet, vt aliquando locupletior & auctior prelo committatur. obediendum fuit amicis qui illum a me extorſerunt. ætas multa limat, deterit vſus plurima, & longe plura cõcoquũt anni: itaq; δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι forſan erunt. Vale, & his fruere, donec meliora dantur.

Aucto-

Auctores qui in hoc libello citantur.

Adamus Lonicerus.
Adolphus Occo.
Aëtius.
Alex. Petronius.
Alexander Trallianus.
Amatus Lusitanus.
Ambrosius Paraeus.
Antonius Fumanellus.
Anton. Don: ab Alto mari.
Anton. Musa Brasauolus.
Antonius Mizaldus.
Antonius Valetius.
Arnoldus Villanouanus.
Auicenna.
Aurelianus.
Auenzoar.
Bened. Victorius Fauent.
Calceolarius.
Christophorus VVirsung.
Conradus Gesnerus.
Comitissa Arenbergica.
Dioscorides.
Dux Virtenbergensis.
Fernelius.
Fuchsius.
Galenus.
Georgius Pictorius.
Gordonius.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus Braunsvveig.
Hieremias Heldt.
Hippocrates.
Hollerius.
Honoratus Castellanus
Iacobus Syluius.
Io. Baptista Montanus.
Io. Manlius.
Io. Mesues.
Io. Huernius.
Io. Vuassaus.
Io. Arculanus.
Leonhardus Iacchirius.
L. Lemnius.
Leonellus Fauentinus.
Lutherus.
Marianus sanctus.
Marcianus.
Mathiolus.
Marcus Gatynaria.
Michael Schrick.
Nicolaus Byesius.
Nicolaus Myrepsus.
Nicolaus Piso.
Nicolaus Spindlerus.
Paullus Aegineta.
P. Bayrus.
P. Hispanus.
Philagrius.
Q. Apollinaris.
Rases.
Reinerus Solenander.
Rondeletius.
Ruffus.
Sribonius Largus.
Sextus Platonicus.
Simeon Sethi.
Valescus de Tharanta.

MEDICAMENTORVM
SIMPLICIVM ET FACILE
parabilium aduersus Calculum enumeratio.

I.

ABIETIS lachryma pota renum calculos eijcit: *Mathiolus.* Abietis oleum vrinam & arenulas pellit: *Dioscorides.*

2. Abrotani semen calculos conterit cum pipere & vino albo. Abrotani decoctum cum Saccharo & apio factum ebibitum, lapidem renum & vesicæ frangit & expellit: *Q. Apollinaris in libello Germanico.*

3. Absinthites vinum datur calculosis: *Fuchsius.*

4. Abutili semine drachmarum duarum cum dimidia pondere epoto ex vino, calculos in renibus frangi educique experientia compertum est: *Mathiolus.*

5. Acetum mulsum aqua temperatum omnibus e calculo siue renum siue vesicæ laborantibus exhibendum est, qualicunque tandem temperie præditi sint, & qualemcun que sanguinem gignant: *Aetius.*

6. Adianti decoctū calculos frangi : *Dioscorid. & Mesue.* Adiantum omne re s adeo valide expurgat, vt calculos mir credatur: *Fernelius.* Vesicæ renumque los comminuit, si potetur: *Paullus.* Calculos decocto frangit & fractos frequenti vsu mire expellit: *Antonius Fumanellus.*

7. Agno-

7. Agnorum medulla igne liquefacta oleo Nucum & albo Saccharo admixto distillata in Sambuco, calculum vesicæ frangit: *Adamus Lonicerus.*

8. Agripalma (Cardiaca): sunt qui agripalmæ manipulos duos contundunt, sensim affundendo vini albi vncias quatuor, salis subtilissime triti drachmam, & factam expressionem potui dant in Calculo renum: *Hollerius.*

9. Alchechengi (solani vesicatorij) grana comesta, aut pota eorum aqua stillaticia lapidem renum & vesicæ certo pellunt: *Adamus Lonicerus.* Halicacabi i. Vesicarij Solani aut Alchechengi acinorum aqua contra calculum renum & vesicæ commendatur a nonnullis, si semel aut iterum in Septimana bibatur: *Gesnerus.* Aqua ex acinis distillata ebibita mane, meridie, & vesperi (Vnciarum duarum in prouectioribus, in iunioribus Vnciæ semis pondere) renum arenulas & calculos pellit: *Q. Apollinaris.* Aqua stillaticia lapidem ex Vesica & renibus proscribit: *Georgius Pictorius.* Eiusdem grana siue baccæ calcatur in tina cum vuis maturis & diebus aliquot simul efferuescere sinuntur, fitq; inde vinum calculosis admodum vtile: siquidem arenas mirifice pellit, & renes mundat, vnciarum quatuor pondere potum: *Mathiolus.*

10. Alcyonij tertium genus est idoneum, ijs qui arenulas in vesica colligunt, *Dioscorides.*

11. Alismatis (Damasonij) radicis decoctum in aqua renum calculos potum conterit: *Gale-*

nus: Paullus. Eiuſdem decoctum potui datur ad renum calculos: *Fuchſius*. Aliſma lapides renum eijcit: *Antonius Fumanellus*. *Aëtius* dicit ſe expertum, decoctum Damaſonij ex aqua, radicis præſertim, calculos renum frangere.

12. Alliorum decoctum diebus quinq; ſumptum conducit excludendo calculo: *Antonius Fumanellus*. Allium cum maluæ radicibus quidam incoquunt vino, de decocto mane & veſperi hauſtum præbent. *Hieron. Braunſvveig. in libello Germanico*. Alliorum ſeptem capita bulliantur in aqua, & ſic illa aqua detur per tres dies. contra lapidem certum & probatum remedium eſt: *Petrus Hiſpanus*.

13. Altheæ radicis decoctę ſuccus ex vino potus ſuccurrit calculorum cruciatibus: *Dioſcorides*. Idem facit ſemen eiuſdem potum deturbans renum calculos: *Dioſcorides*; *Galenus*; *Paulus*; *Aëtius*. Radices altheæ elotæ exenteratæ infundantur in vino albo bono, deinde diſtillentur: ex aqua ſtillaticia propinetur doloris tempore cyathus vnus: *Reinerus Solenander*. Decoctum ſummitatum altheæ, braſſicæ rub. cum melle optimo & butyro recenti, ſaluberrimum ad Calculum renum: huius decocti vſus eſſe debet per dimidiam horam ante paſtum: *Joan. Vuaſſæus*.

14. Amaracus veſicæ calculos conterit, ſi *Antonio Fumanello* credimus.

15. Anas: ferunt aquam de ſylueſtribus anatibus menſe Octobri in balneo Mariæ deſtillatam ad quadraginta dies mane & veſperi potam

vnciæ

vnciæ vnius pondere, calculum renum & vesicæ pellere. *Adamus Lonicerus.*

16. Amygdalæ amaræ calculosis ex passo auxiliantur. arboris gummi cum passo vel cum vino albo bibere prodest: *Dioscorides.* Vrgentibus sæuissimis doloribus a Calculo patiens assumat ol. amygdal. dulc. vnciam vnam, cum vncia vna sacchari: *Io. Baptista Montanus.* (Ego pluries expertus sum, & nuper admodum in Equitum Tribuno.) Tempore doloris licebit exhibere quod sequitur: Recipe ol. amygdal. dulc. vncias duas, vini Maluatici vncias quatuor: fiat omnibus mistis haustus. *Io. Huernius.* Amygdalæ amaræ illinctæ cum resina Terebinthina calculosis medentur: *Anton. Mizald.* Oleum Amygdal. amararum in prouocandis lapillis dulci longe præstantius reperitur. *Mathiol.* Oleum Amygdal. amararum in fistulam vrinariam immissum calculosis medetur: *Adolphus Occo.* Ad præseruationem a calculo in vsu frequenti habeo amygdalas amaras, quas edendas do decem aut duodecim mane in principio prandij vel parum ante illud, superbibendo vini albi haustulum: *Reiner. Solenander.* Amygdal. amararum folia quomodocunque dederis, seu in decoctione aut in puluere, ad calculum valent: *Symphor. Campegius.*

17. Amomum vrinam mouet, & vesicæ calculum atterit: *Anton. Fumanellus.*

18. Amara dulcis cum asplenio decocta in vino & ebibita, iuuat ad calculum in renibus: *Q. Apollinaris.*

19. Anisi semen calculos pellit: *Mathiolus.*

20. Anonidis radicis cortex ex vino potus calculos comminuit: *Dioscorides: Plinius.* Anonidis radicis succus cum vino potus nō lotium modo proritat, sed lapides etiam dissipat: *Paullus.* Radicis cortex præcipue vtilis, deinde eius cauliculi: *Fernelius.* Anonis contra calculum plurimum laudatur: nam ab illorum cruciatu celerrime liberat ac eos expedite educit, puluere ex cortice radicum eius hausta cum vino albo: *Antonius Mizaldus.* Anonidis radicis cortex vim maximam præstat ad renum calculos atterēdos, comminuendos & expellendos obstructis præsertim vrinæ meatibus, quod multorum testimonio compertum est, qui calculo affecti vbi tantum radicis corticum puluerem ex vino diutius bibissent, pristinam sanitatem recuperarunt. Item ex eiusdem radicibus fit aqua quæ pota calculosos non solum expedit renes & vrinam prouocat, sed etiam vesicam & eius ceruicem glutinosis excrementis obsessam expedit: Sumuntur corticum radicum libræ quatuor, hæ minutim concisæ vini Cretici libris octo macerentur, deinde vitreo alembico in aqua calentis balnei collocato elicitur aqua, quæ in præscriptis affectibus plurimum prodest, libræ semis pondere pota: *Mathiolus.* Ad Calculum radices & surculi tenues priusquam aculeos induant, condiuntur saccharo, melle & aceto: *Io. Huernius.* Aqua stillaticia anonidis hausta singulare est remedium ad Calculum, Exp.

21. Apium

21. Apium satiuum (petroselinum vulgare.) Huius radix & semen vino incoquantur ad lapidem renum & vesicæ. foris tum fotu tum insessu conuenit: *Fernelius.* Apij decoctum calculos insidentibus deturbat, & fotu idem præstat: *Antonius Mizaldus.* (Ego noui qui ad præseruationem a calculo vterentur ipsa herba in acetarijs. Sed meo iudicio huiusmodi diuretica ita calida in præseruatione non conueniunt. nam effectricem calculorum caussam adaugent.) Vinũ cum succo petroselini mixtum pelui infunditur & lac bulliens superinijcitur: quod se in fundo colligit serũ bibitur, cum renes a calculosa materia grauantur: *Io. Huernius.* Apium montanum (quod male Fuchsius nostrum vulgare petroselinum iudicat) quomodocunque sumptum frangit lapidem: *Leonellus Fauentinus.*

22. Apri vrina & vesica in furno arefacta, in cibo sumpta calculi dolores sedant: *Adamus Lonicerus.* Lapillus duritiesve lapillo similis in apri iecore inuenta, contrita, cum vino pota calculos conterit: *Plin. Adam. Lonicerus.*

23. Aqua frigida. In vehementi siti & calore, si quidem prius vacuatum corpus est, si debilitas visceris aut consuetudo non prohibent, aquæ frigidæ potus largiter exhibitus calculum aliquando excludit: *Hollerius.* Bibere oportet ante omnem cibum aquam tepidam: nihil enim renes excrementis adeo vacuos temperatosque reddit, vt nõ amplius calculos procreare possint. Nam temporis spatio igneus ipso-

rum calor ab aquæ tepore extinguitur: *Alexander Trallianus.*

24. Aqua vitæ. Ad vesicæ calculum quidam iubent bibere aquam vitæ per spatium septem mensium singulis diebus mane & vesperi, commiscentes vini non distillati partes duas, distillati vnam, & hoc modo comminuitur lapis & excernitur: *Gesnerus.* Tempore doloris a calculo licebit assumere aquæ vitę cochlear: *Christophorus VVirsung.* Ratione substantiæ subtilis & penetrantis disijcit lapides.

25. Argentinæ aquam ad excludendum calculum quidam commendant: *Hollerius.*

26. Armeniaca mala. Oleum ex Armeniacorum malorum nucleis expressum quinque vnciarum pondere cum vini Cretici vncia, calculos pellit: *Mathiol.* Vide *Persica.*

27. Artemisia calculos comminuit: *Dioscorides.* Calculis renum congruit: *Galenus.* Folia artemisiæ in vino dulci coquantur contra calculum: *Ant. Mizaldus.* Puluerata exhibeantur cum aqua apij: *Q. Apollinaris.* Puluis foliorum artemisiæ drachmæ vnius aut duarū pondere cum vino albo absorbeatur: *R. Solenander.* Artemisiæ vtræq; species renum lapidem confringunt: *Paullus.* Artemisiæ decoctum in dessessionibus ad renū calculum adhibetur: *Fuchsius.* Succus artemisiæ copiose bibitus, ita quod singulis diebus bibatur medius cyphus, mire frangit lapidem: *Petrus Hispanus.*

28. Asarum numeratur inter ea quæ renum calculum comminuunt: *Nonus.*

29. Aselli, bestiolæ, quæ in lapidarijs officinis inueniuntur, quasi verrucæ lapidibus hærent. quæ si quinque numero ex aquæ tribus vncijs sumantur, mirabiliter iuuant calculo renum laborantes: *Hollerius.* Vrinam vehementer prouocant & calculosam materiam e renibus abigunt si cum vino Rhenensi contundantur ac peplo traijciantur, & colatura cum vino bibatur: *Jo. Huernius.*

30. Asini syluestris (Onagri) vrina, *Galeno* teste, calculum vesicæ frangit.

31. Asparagi radices calculos exturbant, addito cymino & aniso: *Anton. Mizald.*

32. Asphodeli radicis decoctum si sumatur ex vino cum potu, eximuntur renum lapilli: *Mathiolus.*

33. Asplenium vesicæ calculos comminuit: *Dioscorides.* Asplenium herba incisa, butyro excepta & apprime calida loco dolenti & male affecto imponatur, & lapis exibit: *Amatus Lusitanus.* Asplenij decoctum cum oxymelite non parum prodest: *Anton. Don. ab Altomari.* Nam & ipsum lapidem frangit *Galeno* teste. Decoctum in vino renum & vesicæ calculo medetur: *Adamus Lonicerus.*

34. Atramentũ sutorium semiscrupuli pondere ex aqua agrimonij calculosis commodissime datur: *Mathiolus.*

35. Auricula muris ex aquæ tribus heminis ad tertias decocta, ad cyathos tres sumpta cum vini cyathis duobus & nitri victoriati pondo, atque his dilutum medicamentum datur p. i.

per dies 45. vrinam trahit calculoſam: *Scribonius*

36. Auellanæ nuces; vide *Nuces.*

37. Auis cauda tremula a proprietate occulta valet ad Calculum. vide *Motacilla.*

1. Baccaris radices tritæ in aqua ad tertias decoctæ veſicæ tollunt calculos.

2. Balſami ſuccum per ſe calculos comminuere produnt: *Adamus Lonicerus.* Ol. Balſamini guttæ quatuor cum maluatico, aut conſimili diſſolutæ hauriantur: *Symphor. Campegius.*

3. Bardana (perſonata) radice & ſemine arenulas calculoſque excutit. *Fernelius.* Accipe radicem Bardanæ, cortice tenuiter deraſo coquito in aqua fontis ad trium partium cōſumptionem & percolato, datoque ſummo mane vncias quatuor aut ſex: *Anton. Fumanellus.* Aqua ſublimationis lappæ cum vini ſubtili albo ſumpta, manifeſte frangit lapidem tam renalem quam veſicalem: *Galenus.* Bardanæ ſemen potum calculoſis medetur. idem facit radicis decoctum: *Mathiolus.*

4. Barbatulus piſcis: aduerſus calculum multi commēdant puluerem pellis piſcis Barbatuli, cum aqua parietariæ ex vino albo hauſtum: *Antonius Mizaldus.*

5. Bati rubi radix lapides renum confringit: *Galenus: Paullus.* Eiuſdem radix in vino cocta aut in puluerem trita & ſumpta lapidem renum frangit: *Adamus Lonicerus.*

6. Bdellium calculum veſicæ & renum cum ieiuni hominis ſputo ſub vmbilico illitum, aiūt frange-

frangere: *Dioscorides: Adamus Lonicerus.* Bdellium Arabicum renum calculos frangere existimatur, in potu sumptum. Bdellium renum calculos comminuere videtur: *Galenus.* Bdellium bibitũ calculos abigit: *Io. Huernius.* Bdellium cum vino dissoluatur, aut in puluerem subtilem redigatur, & cum vino stomacho ieiuno potui detur: *Symphor. Campegius.*

7. Bethonica consistentes in renibus calculos frangit: *Mathiolus.* Bethonica cum mulsa & pipere data potui lapidem renum & vesicæ excludit: *P. Hispanus.* Bethonicę manipulus vnus ex aquæ tribus heminis ad tertias decoquitur, inde sumuntur cyathi tres & adijciuntur cyathi duo vini & nitri victoriati pondo, atque his dilutum medicamentum p. 1. datum per dies 45. in arenam soluit lapidem: *Scribonius.* Aqua Bethonicæ distillata arenas & lapidem frangit: *Georgius Pictorius.*

8. Betularum dulcis succus in vere collectus aduersus calculum vtiliter bibitur: *Adam. Lonicerus.* Betulæ caudex terebro perforatus ingentem aquæ copiam reddit, cui vim maximam inesse quidam asserunt ad comminuendos tam renum quam vesicæ calculos, si diutius bibatur: *Mathiolus.*

9. Bistorta facit contra renum vitia, & vesicæ lapidem minuit & educit quomodocunque sumpta: *Antonius Fumanellus.*

10. Borax. Empiricus quidam calculos vesicę in quibusdam curabat cum borace mixta aqua ardẽte ad crassitudinem mellis, admixto etiam

trito Tartaro aut Calculo ab homine exciſo, aut fæce vrinæ in matula. iubebat per 14. dies hoc medicamento, vti ita vt ſemper parum eius vino bibendo etiam in prandio & cœna admiſceretur: *Geſnerus.*

11. Bos: menſe Maio lapilli quidam in Bouis ventriculo inueniuntur, qui ſi aſſumantur cum vino albo, renum calculum ſoluunt: *Ioſephus Quercet.* Regis Nauarræ Medicus, quo familiariter Geneuæ vſus ſum. Menſe etiam Maio in veſica fellis Tauri lapillus reperitur, qui ſi vino imponatur, croceum colorem mutato paullum ſapore contrahit: de hoc vino quotidie recenti affuſo ſingulis diebus ægri bibant, donec lapis vino impoſitus omnino conſumptus ſit. Hac ratione calculum comminui & tandem conſumi experientia multis conſtat: Idem. Lapis quidam gignitur in bubulo felle, nonnunquam oui magnitudine, colore croceo, facileque friabilis, qui, vt plerique perhibent auctores, potus veſicæ calculos comminuit: *Mathiolus.* Lapis in felle bouis inuentus lapidem frangit: *Io. Huernius.*

12. Bruſci ſeminis & foliorũ vſus eſt ad calculum ſi in vino decoquantur: *Ad. Lonicerus.* Burgeſpinæ radicum cortices vel lignei ramuſculi ſiccãtur in clibano vt teri poſſint in mortario. puluis transfunditur per ſetaceum vt ſit tenuiſſimus. eius pulueris exhibentur ſcrupuli quatuor cum vncijs quatuor vini albi bis in menſe: *Antonius Valetius.* Bruſci baccæ & folia cum vino pota veſicæ calculos frangunt. idem facit radicis

radicis decoctum: *Dioscorides.* Bruscus tum radice subamara, tum folijs & baccis ex vino potis vesicæ calculos deterit: *Fernelius.*

1. Calami aromatici drachma vna in vino albo in aurora exhibeatur. Sed ipsius frequentior sit vsus, nam ad præseruationem valet: *Reinerus Solenander.*

2. Callarius piscis quem Belgæ *schelvisch* nominant; in huius piscis capite inueniuntur lapilli, qui contriti & vino exhibiti, calculum qui renibus infixus est terunt ac comminuunt, non solum grauitate & pondere vt quidam existimant, sed insita quadam vi, qua humorum collectionem dissipant ac discutiunt: *L. Lemnius.*

3. Cancri. Lapides inuenti in capite cancrorum, vnciæ semis pondere torrefiant & subtiliter puluerisentur, & cum aqua saxifragiæ tepida dissoluatur puluis & detur patienti: *Bened. Victor. Fauentinus.* Cancri fluuiatilis putamē diligenter contusum & ex vino subdulci potum renum calculos comminuit: *Mathiolus*: *Christoph. VVirsung.* Sunt qui contritos gammarorum aut Cancrorum lapillos ex vino potandos exhibent, alij torrefactos prius ex petroselini vulgaris succo propinant: *Mathiolus.* Idem faciunt oculi cancri fluuialis triti cum pulli iure poti, nec minus lapidosa durities in cancrorum capitibus inuenta, trita & bibita: *Anton. Fumanellus.* Accipe impari numero cancros fluuiales: vrito in olla, & de ijs bibendum da vnciæ vnius pondus: *Nicolaus Myrepsus.*

In capite cancrorum repetitur lapillus figura planus, qui acerrimo aceto immissus, motum manifestum habere deprehenditur: huius puluere audio feliciter multos vsos ad conterendos renum calculos.

4. Caper. Caprillus sanguis si extrinsecus illinatur calidus, maxime confert ad vesicæ calculum: commodius est, si etiam super vesicam sanguinem imponas: longe vero optimum, si in calido balnei aere illinas, atque ita deliges. Valet autem ipsum nō modo semel, sed etiam sæpe & per interualla: *Alexander Trallianus.* Caprillus sanguis cum melle potus renum calculos comminuit: *Paullus.* Capræ vrina pota calculum pellit: *Adamus Lonicerus.*

5. Caprifolium tum fructu tum folio calculos pellit: *Fernelius.*

6. Cardamomi grana cum cortice rad. lauri drachmę vnius pondere pota calculos comminuunt: *Dioscorides: Adamus Lonicerus.*

7. Cardui benedicti folia in vino cocta & calida pota calculum frangunt: *Adam. Lonicerus.* insessiones & balneæ desudatoriæ ex carduo benedicto ad calculum vtiliter conficiuntur: Idem. Carduus benedictus calculum frangit, *Fuchsius.* Cardui (vulgaris) radices ex terra extractas aut aridas in vino albo tenui decoque, decoctum da calculosis: oportet autem eam potionem largius offerre: *Aëtius.*

8. Cassia: expertum est, si patiens calculum quotidie ante prandium ingurgitet Cassiæ recens extractæ drachmas tres, nunquam cadet in cal-

in calculi generationem: *Bened. Victor. Fauent.* Cassiæ solutiuę pulpa renes a calculis & sabulo expedit, præsertim si ex glycyrhizæ decocto alijsve medicamentis vrinam cientibus bibatur. quinetiam frequenter deuorata calculos renasci prohibet: *Mathiolus.*

9. Caucalidis succus arenulas pellit: *Plinius: Mathiolus.*

10. Caulium radicum cinis lapidem frangit: pro quo parando nullo alio artificio opus est quam simplici vstione: *Auicenna: Amatus Lusit.* Ius decoctæ Brassicæ vel caulis cum veteri gallinaceo ijs prodest, qui calculo renum vexantur: *Adamus Lonicerus: Mathiolus.*

11. Centaurij maioris succus, quem lyrium vocant, vrinæ calculos stillicidiaque sanat iniectione: *Dioscorides.*

12, Cepa: Cepæ albæ aqua stillaticia lapidem frangit: *Marianus sanctus.* Cum fuerit dolor maximus & intolerabilis ex calculo, accipiantur duo vel tria cepe & minutim incidantur: supra tegulam calidam calefiant, deinde cum vino albo aspergantur, & supra renes vel perinæon emplastrentur: *Gesnerus.*

13. Cerasa acida calculum pellunt: *Adamus Lonicerus.* Cerasorum nuclei valent ad calculum. Decoctio medullę ossium cerasorum prouocat vrinam & frangit lapidem renum & vesicæ: *P. Bayrus.* Cerasorum gummi ex vino potum calculosis auxilio est: *Dioscorides.* Calculis vexatos gummi cerasorum cum vino potum adiuuat: *Paullus.* Cerasa contusa & cum lacte

distillata liquorem præbent diureticum (calculosis vtilem :) *Io. Hærnius.* Oleum de Cerasis calculum e renibus & vesica pellit: efficacius quod e nucleis cerasi sylueſtris paratur: *Adolphus Occo.*

14. Chamæmelum si vino incoquatur & bibatur, calculos pellit. Chamæmelum potu & insessu calculos pellit, sed efficacissimum est, quod florem purpureum gerit: *Dioſcorides.* Chamæmelinum oleum fictili vase concluditur mistis floribus genistæ. Vas fideliter clausum stercorario fimo obruitur, illicque vt efferuescat aliquot dies relinquitur. eo oleo renes, pubes, perinæon calculo laborantium illinuntur: *Hollerius.*

15. Chærefolij succus vel stillaticius liquor eius calculo renum prodest: *Ad. Lonicerus.*

16. Chamædrys in melle cocta aut aqua mellis; & bibita, frangit lapidem: *P. Bayrus.*

17. Chelidonij aqua distillata in alembico vitreo valet ad comminuendum lapidem: *Io. Baptista Montanus.*

18. Chrysanthemō vesicę calculos eijcit: *Plin.*

19. Cicadæ valent ad calculum conterendum: Vide *Grilli* in litera G.

20. Ciceris rub. secunda decoctio (prima videlicet effusa) ieiuno stomacho pota calculum pellit: *Adamus Lonicerus.* Vulgo probatur decoctum Cicerum rub. *Ant. Valetius: Io. Vaassæus* decoctum Cicerum rub. improbabat, quod renes vlcerare contenderet ex *Dioſcoride.* Brodium Cicerum rubr. frangit lapides: *P. Bayrus.*

Bayrus. Cicer arietinum reliquis præstat: decoctum eius calculos renum confringit: *Galenus. Fuchsius*.

21. Citrium vnum in minutissimas partes varie sectum coquitur in ventre gallinæ exenterato: iusculum sorbendum datur per dies duodecim mane post vsum Terebinthinæ in calculo renum: *Nicolaus Piso*. Oleum e granis citri potum aut illitum calculum vesicæ & renum detrudit: *Adolphus Occo*.

22. Cochlearum testæ inanes tritæ calculos pellunt.

23. Columbus iuuenis deplumetur, abscindatur caput, pectus integrum cum alis auferatur, crura item & coccygis ossa, eijcianturque intestina omnia, relinquatur solum dorsum ipsum & quod ipsi interius adhæret: exiccetur in furno in crate ligneo, puluerisetur: huius pulueris drachma vna vel duæ exhibeãtur cum vino albo calculosis: *R. Solenander*. Columborum fimus lapidem frangit. Aqua stercoris columbini (prius per noctem in vino macerata) distillata & bibita prodest calculo: *Gesnerus* ex Theophrasto. Palumborum ferorum stercus cum faba sumitur contra calculos: *Plinius*. (Accipe stercoris columbini manipulos duos, infundantur per noctem in poculo vini albi, deinde facta inde aqua stillaticia propinetur calculoso. dosis vnciæ tres mane ieiuno stomacho: Experimentum.) Stercus columbinum in aquam distillatione deductum lapides vesicæ durissimos frangit: *Hieronym. Cardanus*.

Rases quoque inter alia vtitur fimo columbino ad balneum pro calculosis. Cataplasma ex stercore columbino ad calculũ expertissimum seq. modo concinnabis. Accipe stercoris columbini, & ceparum, singulorum vncias quatuor, minutim concidantur & contundantur, deinde coquantur in aq. s. ad formam pultis, extendãtur inter duo linteamina ad instar subligaculi pro cataplasmate, quod pubi & pudendis circumponatur, relinquendo in medio foramen per quod virga demittatur. Hoc cataplasma debet calidum admoueri, & vbi refrixerit vsus tempore in aq. calida calefieri. est enim accommodatissimum ad calculum vesicæ. *Nicolaus Spindlerus in libello Germanico variorum experimentorum.* Infusum siue aqua stillaticia ex stercore columbino seq. modo fiat. Accipe stercus columbinum, infunde in aceto vini acerrimo (dies octo si patiens iuuenis est: si vetus est, dies quatuordecim) postea distilletur. huius aquæ stillatæ laboranti calculo dum sedet in balneo exhibe singulis diebus cochlear vnum: *Hieremias Heldt in libello Germanico.* Palumbi alitis venter modice potus per vrinam calculos expellit: *Paullus.*

24. Condysum (Struthion) denarij pondere cum panace & capparis radice calculos rumpit & per vrinam pellit.

25. Consolidæ regalis herba auxiliatur calculosis: *Mathiolus.* Semẽ eiusdem calculosis prodest: *Ad. Lon.* Consolidam regalem calculosis conferre experientia comprobatũ est: *Fuchsius.*

26. Co-

26. Corallij rasura bibita scribitur arenulas mingentibus prodesse: *Dioscorides.*

27. Coryli cortex medius coquitur in vino, colatura bibitur a calculoso: *Hollerius.*

28. Costi radix vesicæ lapidem frangit: *Io. Mesues.*

29. Cotyledonis (vmbilici Veneris) folia cum radice cõtusa & manducata calculos frangunt: *Ad. Lonicerus.* Eius radix cum folijs comesta lapidem frangit: *P. Bayrus.*

30. Cranium humanum in puluerem redactum ipse pluries vidi in calculosis renibus maxime profecisse: *Mathiolus.*

31. Crithmum (creta marina) calculos renum confringit: *Fernelius.* Seminis Crithmi vncia media cum vino Cretico aliove potenti exhibeatur ad calculum renum: *Anton. Fumanellus.* Creta marina præseruat & curat: *Gordonius.* Ad calculum comminuendum vsum Cretæ marinę, potissimum ipsius aquæ multum commendat *Rondeletius.* Sedere in aqua decoctionis Crithmi marini vsq; ad vmbilicum quæ sit salsa & decenter calida, sedat vitium lapidis renum & vesicæ *P. Bayrus.*

32. Cubebæ frangunt lapidem renum & vesicæ: *P. Bayrus.*

33. Cucumeris erratici aquam distillatam asseruere nonnulli lapidem frangere: *Antonius Fumanellus*

34. Cucurbitulæ doloribus aliquantulum lenitis, inflammatione non impediente vtiliter ipsis calculosis adhibentur, & præsertim pres-

ſius affixæ. Adeo enim coaceruatim tranſmouent ſæpe cucurbitulæ ipſos lapides, vt repente dolores ſupprimant, lapide nimirum in veſicæ amplitudinem tranſuecto. Quapropter in principio ſuperne a rene cucurbitulæ ſunt affigendæ, ſecundum vrinariorum meatuum ſitum: *Aetius: Rondeletius: Fuchſius*, & alij plures. renibus primum, deinde perinæo & inguinibus affigi debent: *Hollerius.*

35. Cuminum ſylueſtre caule vno, ſemine Crith, optimum eſt remedium calculo vexatis, ſed apij ſemen feruefactum ſtatim ſuperbibendum eſt: *Dioſcorides.*

36. Cuniculorũ axungia vſurpatur ad calculoſos inuncta vel emplaſtrata: vt ſi naſturtium aquat. raphanus, parietaria in ea frixẽtur. Exp.

37. Cynoſbatum. Quidam in maximo dolore a Calculo lac caprinũ in quo poma Cynoſbati cocta ſunt, in locum affectum imponunt: *Ioan. Manlius.* Huius echinus pilulave ſingulare eſt calculoſis remedium: *Ant. Fumanell. Hollerius.*

38. Cynoſrhodon: Vide *Roſa.*

1. Daucus ſemine primum & deinde radice vrinam vehementer propellit, vt etiam calculos excludat: *Fernelius.* Dauci radix & ſemen quomodocunque ſumpta renum calculo medentur. Eaſdem habet vires aqua inde diſtillata: *Adamus Lonicerus.*

2. Dictamni albi radix drachmarum duarum pondere pota renum calculos pellit: *Mathiol.*

1. Ebulus cum folijs tritus calculos pellit. idem operantur ipſius acini acatabuli menſura:

(poti

(poti ex vino tenui:) *Plinius.* Ebulus in aqua decoquatur pro balneo: poſt coctionem herbæ includantur ſacculo, atque ita calide applicentur ventri & pubi in veſicæ calculo, & renibus in renum calculo: *Hieronymus Braunſvveig in libello Germanico.*

2. Ebur combuſtum & in puluerem redactum cum vrina hirci bibitum renum & veſicæ lapidem frangit: *Q. Apollinaris.* Idem diſſolutum cum ſucco rutæ & ebibitum veſicæ lapidem frangit: Idem.

3. Electrum imprimis album contuſum ac vino vel cereuiſia coctum detur laborantibus calculo. nam calculoſam materiam diſrumpit ac expellit: *Jo. Manlius.*

4. Equini lienes ex vino aut mulſo poti diebus quadraginta calculos expellunt, vt *Plinus* refert. Cinis vngulæ equi datur cum vino: *Hollerius.* Equi ſtercus auena nutriti in vino coctum & ebibitum lapides comminuit & frangit: Exp.

5. Erica: aqua in qua decocta ſit erica ſumpta tepida tam mane quam veſperi, 30. dies, vnciarum quinq; pondere, tribus horis ante cibum valet ad veſicæ calculos comminuendos & expellendos. Verum poſt id tempus male affecti in balneum decoctionis eiuſdem plantæ ingredi, atque inibi dum morantur, ſuper ericam decoctam ſedere debent, idque pluries repetendum eſt. Equidem noui aliquos qui ſeruata victus ratione hoc tandem potu veſicę calculum in minimas partes comminutum, eiecerunt: *Mathiolus.*

6. Eryngij radicis vſu a calculo quendam liberatum ſcribit *Aetius: Fernelius.* Herba & radix Eryngij cum vino & melle cocta & potata mane in lecto vt poſt ſuperdormiat, calculoſos ſanat ſi bibatur per dies ſedecim: *P. Hiſpanus.* Eius acino ad calculos conterendos vtuntur. Aqua diſtillationis Eryngij pitiſſando ſumpta lapillos tam renales quam veſicales conſumit.

1. Fabarum decoctum calculos in veſica & renibus ne gignantur prohibere ferunt: *Ad. Lonicerus.* Ex fabalibus lixiuium prætulerim ad calculum: *Geſnerus.* Lixiuium ex cineribus ſcaporum fabaceorum magno eſt aduerſus calculum remedio: *Ambroſius Paræus.* Aqua corticum fabarum valet ad calculum: *Marcus Gatynaria.* Aquam fabarum ad calculum ſequenti modo parat *Chriſtophorus VVirſung* in ſuo libro Germanico: accipit cortices fabarum exteriores adhuc virentes & folia q. placet, diſtillentur per balneum Mariæ: accipe huius aquæ ſtillaticiæ vnciam vnam cum dimidia, ſanguinis hirci præparati drachmã vnam vel ſcrupulos quatuor, exhibe pro doſi bis interdiu mane & ſero, continuando diebus aliquot.

2. Fagi flores ſiccati dantur cum vino albo ad calculum. fagineæ glandis cinis renum calculis vtiliſſime illinitur: *Mathiolus: Io. Huernius.*

3. Ficus. Nephritici poſt vſum ficuum multas arenulas excernunt, propter extergendi qua pollent, facultatem: *Galenus: Ant. Mizald.* Lac ficus cum lacte mori cum ramo ipſius educit arenulas de renibus & veſica: *Meſues.*

4. Fili-

4. Filipendula renum calculis auxiliatur: *Mathiolus*.

5. Flammulæ oleum commendant in renum calculis, aut calidum inunctum aut clysteribus infusum: *Mathiolus*. Id autem præparant seq. modo: Flammulæ folia tenuissime concisa in rosaceum imponunt, quod vitreum vas exceperit, ac inde per æstatem insolant obturato vase: Idem.

6. Fœniculi semina in vino decocta calculo renum medentur: *Adam. Lonicerus*. Possunt radix & semen fœniculi calculos frangere: *Galenus*. Fœniculum erraticum, quod Hippomarathrum vocant, calculos vesicæ pellit.

7. Fraga optime matura in phialam aqua ardente plenam conijcito, post horas 40. circiter colato, & rursus noua fraga in eandem ardentem aquam conijcito, ac sic relinquito optime tecta & munita ne quid exspiret. Prima autem fraga quæ post colaturam supersunt per linteum valide exprimere poteris, expressum liquorem seorsum seruare. Quum vti voles ter aut quater mense cochlearium vnum sumes mane, & addes puluerem de Saccharo cando. Gratum & efficacissimum hoc remedium est, quod aliqui vltra viginti annos calculo conflictati præ cæteris omnibus mihi commendarunt. Sed in victus ratione curam adhibebis, ne crassi & viscosi humores generentur. *Gesnerus*. Stillaticia aqua Fragorum maturorum pota ad calculosos optime facit: *Petrus Pena*. Fraga renum & vesicæ sordes & arenulas eluunt, detritosq;

calculos excludunt, præcipue autem de his aqua stillaticia: *Fernelius.* Accipe fragariæ (cum fructu) parietariæ, nasturtij hortensis, sisymbrij, singulorum partes æquales: coquantur in vino ad tertias, de collatura bibe haustum mane ieiunus, & vesperi cubitum iturus: *Christophorus VVirsung.*

1. Gallinacei e ventriculo membrana arida vel recens tosta sumitur contra calculos vesicę: *Anton. Fumanellus.*

2. Gallitrici semen potum cum vino subtili educit arenulas de renibus tantum: *Mes.*

3. Gammari, vide *Cancri.*

4. Garyophylleæ sylvestris succus ad atterendum & educendum calculum maximam vim habet: *Adamus Lonicerus.*

5. Genista (Sparthum) semine præsertim tum renum tum vesicæ calculos comminuit: *Fernelius.* Semen genistæ mundificat renes & non permittit materias in eis figi neque in lapidem conuerti. Frangit lapidem renum & vesicæ. dosis drachmæ duæ aut tres cum ros. melle, vel cum aq. mellis ros. cum rosis & mastiche: (quia nocet ventriculo) *P. Bayrus.* Liquor florum genistæ stillatitius aduersus calculum valet: *Adam. Lonicerus.* Idem potest tusum semen per se drachmæ semis pondere sumptum, ad sudorem contecto corpore. Genistæ flores lapidis prohibent coagulum & eorum aqua: *Jo. Huernius.* Ad idem conserua fit ex floribus Genistæ: Idem.

6. Geranij radix cum vino drachmæ vnius pondere sumpta calculo prodest: *Ad. Lonic.*

7. Gith odoratum multis diebus sumptum cum aqua mellis calculos in renibus & vesica liquefacit: *Dioscor. Mesues: Rases: Arculanus.*

8. Glycyrizæ decoctum calculos pellere traditum est: *Antonius Fumanellus.*

9. Glirium excrementa pota calculum discutiunt: *Adamus Lonicerus.*

10. Graminis radicis decoctum in potu calculosa vesicæ excrementa comminuit: *Dioscorid. Ad. Lonic.* Quod & eius semē præstat: *Fernelius.* Calculos decoctū eius atterit: *Gal. Paullus.* Accipe rad. graminis vncias tres: fiat coctio ex aqua mulsa despumata, ad lib. vnam. aromatisetur: (Cinamomo aut simili:) *Io. Huernius.*

11. Grilli sine pedibus & pennis exiccentur ad ignem in fictili nouo vt conteri valeant. puluis exhibeatur cum aq. saxifrag. vel vino. calculo renum laborantibus siccatas contusasque cicadas dare expedit: verum alæ vel pedes ab eis tolli debent, atque ita ipsas ægro exhiberi in balneo, quando iam is in frigidæ solium descendit. commodius erit si medicamentnm ex mulsa læuiges. ne contemnas, est enim validum: *Alexander Trallianus.* Sine pedibus ac pennis contusi exhibeantur ex mulso calculo renum laborantibus: *Nicolaus Piso.* Cicadæ tritæ potui inspersæ tum per se tum cum nardi spica calculosis commodæ sunt. congruenter autem miscetur ad cicadas duas & dimidiam drachma vna. dato ex his per dies nouem, die prima cochlearium, secunda duo, tertia tria, & post ordine dęscendes retrogrado, & denuo

per ascensum ad numerum completum: *Aëtius.* Forte ad renum calculum medicamentum e cicadis est cum Tragacanthi succo dandum: *Leonhardus Iacchinus.* Puluis grilli stantis circa furnos datus cum vino grauellam expedit.

12. Guaiaci lignum: sunt qui singulare præsidium putant frangendo lapidi lignum Guaiaci: *Hollerius: Nicolaus Piso.* Potius in præseruatione a lapide confert, quam in exclusione: *Anton. Valetius.* Si tamen conferet, obesis corporibus ijsque prius bene præpurgatis conducet: Idem. Guaiaci ligni decocto ebibito vrina prolicitur & renum lapilli: *Antonius Fumanellus.*

1. Hederæ fructus drachmæ vnius pondere triti cum vino albo poti calculum pellunt, vt experientia constat: *Ad. Lonicerus.* Hederæ corymbi ad ciendam vrinam efficaces: propterea calculosis & nephriticis exhibentur. Hederæ corymbos albos da in vino albo bibere, frangunt lapides: *Galenus.* Hederæ corymbi septem vel nouem triti, cum vino albo poti, lapidem renum & vesicæ frangunt: *P. Bayrus.* Ad idem facit hederæ aqua stillaticia vnciarum duarum pondere mane & sero continuis aliquot diebus pota: *Q. Apollinaris.* Decoctum hederę terrestris ex vino per aliquot dies bibitum, conducit ad renum calculos. Quidam vsus erat vino sublimato cum hedera syluestri, & calculos ea medicina excreuit. *Io. Baptista Augustanus.*

2. Helenij radix in mustum iniecta vt simul deferueat, contra calculum vtiliter bibitur: *Ad. Lonice-*

Lonicerus. Aqua ex radicibus diſtillata diebus aliquot continuis bibitur vnciarum duarum pondere ad calculum: *Q. Apollinaris.* Helenij folia contuſa cum vino appoſita dolorem a calculo tollunt: *Io. Huernius.*

3. Heliotropij folia decoctum vna cum cumino epotum renum calculos frangit & pellit: *Mathiolus.*

4. Herbæ paralyſis rad. decoctum ad renum & veſicæ calculos commendant: *Mathiolus.*

5. Herniaria herba (Trago Empetron) contra calculos efficaciſſima: *Geſnerus.* In mulſo decocta calculum pellit: *Adamus Lonicerus.*

6. Hippolapathi radicis dilutum ex vino paratum præſtat ad pellendos renum calculos. Idem facit ſiccæ radicis puluis drachmæ vnius pondere ex meraco potus: *Mathiolus.*

7. Hircinus ſanguis e iugulato hirco iuuene quo tempore vuæ matureſcunt, renum calculum excludit. debet excipi medius, relicto eo qui primus fluit & poſtremus. vaſe fictili excipitur: inſolatur, (obducto linteo ne ſolis ardore vis euaneſcat) exiccatur, reſeruaturque fideliter. cum vſus fuerit accipies pul. ſeſquidrachmam cum vino tenui, (aut maluatico:) *Hollerius* ex *Aëtio.* Obſeruabis ſanguinem illum efficaciorem fore ſi poſtremis diebus hircus diureticis altus fuerit: *Ant. Valetius.* Sed ex hirco viuo ſanguinem adhuc calentem haurire præſtantius fuerit: quod nonnullos magno ſucceſſu tentaſſe audio, nulloque periculo: addebant enim aliquid coaguli ne in ventriculo glaciare-

tur: *Iacobus Sylvius.* Remittente malo cochleazium plenum cum passo Cretico exhibeto: *Aëtius.* Philagrius hunc puluerem cum Troglodyte passerculo permistum cuidam nihil penitus lotij eijcienti post magnos dolores exhibuit, & permagnum lapidem attritum ab eo expulit. Sequens remedium scio quibusdam familiare, Recipe sang. hirci pręparati drachmas tres, dissol. cum aq. stillatitia florum genistæ q. s. & dato patienti. Hircinus sanguis præparatus (præparationem tradit præter *Aetium, Trallianus*) præexistentes lapides soluit, atque ita per lotium excerni eos facit, vt etiam alij amplius non renascantur; præterea dolorem sedat: *Amat. Lusitanus: Ant. Don. ab Altomari.* Probatum est experimento solum hircinum sanguinem calculosis cochleari mẽsura ex passo Cretico & decocto chamæmeli datum conferre: *Nicol. Myrepsus.* Accipe sanguinis hirci exiccati, capparis radicis vtriusque æquales partes: ex ijs tritis bibendũ præbeto cochlearium vnum cum mero ieiunis: lapidem per vrinam citra dolorem expellit: Idem. Hirci sanguinis triti drachma vna in balneo sedẽti cum nardi decocto, cinamomi & cicadarum puluere per triduum exhibita, vrinam eijcit, lapidem frangit & dolorem sedat: *Antonius Fumanellus.* Sanguis hirci s. a. collectus reseruetur in Trochiscis, de quibus in hora doloris detur vnus cum vini aceto aut aqua apij montani: *Rases. Arculanus.* Ego in maximis doloribus a calculo cum myrto, zinzibere, & myrrha Troglody-

tide

tide cremata scio me exhibuisse hunc puluerem ex hircino sanguine, & calculum grandem quem comminuerat per vrinam expulisse: hoc medicamentum pręterquam quod comminuit calculos, etiam dolorem lenit, nec alios sinit generari, vnde & manus Dei appellatur: *Alex. Trallianus.* Cum vsus postulat cochleare plenũ ex passo Cretico datur: Idem. Sanguis hircinus pręparatus s. a. exhibitus quantitate duorum aureorum est fortis ad comminuendum calculum renum & vesicæ, cum vino potenti aut cum aqua raphani aut cicerum aliquibus diebus potui datus: *Io. Arçulanus.* Aurelianus a balneo aut iam laxatis vijs, renes, pubem, interfemineum calido hirci sanguine inungit: *Hollerius.* Quinetiam sanguine hircino renes, pubem & perinæon inunxit *Trallianus.* Contra calculum bibendam hirci vrinam commendant quidem: *Gesnerus.* Accipe sanguinis hirci præparati drachmam vnam, decocti graminis & cicerum rub. in mulsa vncias quatuor, exhibe pro dosi: *Io. Huernius.* Sanguis hirci s. a. pręparatus datur a sesquidrachma ad drachmas sex pro dosi, ad lapidem comminuendum, teste *Rondeletio.*

8. Hissopus ad deturbandos renum calculos facile est & admodũ familiare remedium, quod constat Syrupo hissopi cum duplo aut triplo aquæ parietariæ, quo remedio per dies decem aut duodecim hieme propinato ieiunis multi calculi & arenulæ e multorum corporibus excluduntur: *Antonius Mizaldus.*

9. Hominis humati ossis limatura ex vino pota mirabiliter confert dolori renum a lapide: *Marcus Gatynaria.*

10. Hyperici semen ex vino potum calculos eijcit: *Mathiolus.*

1. Iberidis (Lepidij) semine minuto conciso vtuntur recentiores ad renum calculos detrahendos, vnius aut duarum drachmarum pondere: *Anton. Fumanellus.*

2. Imperatoriæ radix semen & folia in vino decocta calculum vesicæ ac renum expellunt: *Adamus Lonicerus.*

3. Iridis radicis decoctum potum renum calculos detrahit: *Mathiolus.* Recentes Iridis radices saccaro conditæ aut melle, dantur vtiliter deuorandæ vnciæ vnius pondere calculosis: Idem. *Io. Huernius.*

4. Irionis vulgaris semen ex vino, renum calculos pellit: *Mathiolus.*

5. Iudaicus lapis: Iudaicum siue Syriacum dictum lapidem in cote tritum cum tribus aquæ calidæ cyathis ad calculũ propinant: quod nos nullo successu sumus imitati. Verum in calculos renum efficax est: *Galenus.* Vsum eius ad calculum renum *Ant. Musa Brasauolus* ab experientia sua commendat, interim ab adulteratis ex marmore caueri iubet quos inibi depingit. Potest ciceris magnitudine tritus ad cotem cum calidę aquę cyathis tribus calculos in vesica cõminuere: *Dioscorides.* Datur cum oxymelite tritus in cote vel cum vncijs tribus aquæ conuenientis: *Hollerius.* Contritus super cotem barbi-

barbitonsorum, ablutus, datus cum aqua calida vel vino albo frangit & expellit lapides: *P. Bayrus.* Magis in lapide renum quam vesicæ conuenit: *Marcus Gatynaria.* Lapis Iudaicus aqua subactus ad glutinis consistentiam abrasis pilis sumini ac pubi applicitus calculos vesicæ frangit: *Aëtius.* Accipiantur vitella ouorum integra, cocta in aqua conficiantur cum oleo nardino & moschelino, & addatur puluis lapidis Iudaici, & inde emplastretur tota virga & pecten, statim lapis frangitur & expellitur: *P. Hispanus.* Dosis a drachma media ad duas: *Rond.* Vide *Lapis lyncis.*

6. Iuniperi fructus renes ab arenulis deterget: *Fernelius.* Dux VVirtenbergensis in conuentu Smalkaldensi docuit doctorem Lutherum præsens remedium contra calculum: videlicet, vt sumeret recentem ollam vsque ad dimidium plenam recentibus iuniperi baccis impletam, quam postea cõpleret vino & aqua, in qua iuniperi baccas decoqueret ad tertiæ partis consumptionem, & de hac potione haustum vnum sumeret atque alterum. Tunc enim secuturam doloris mitigationem, & calculi processionem certo sensurum: *Io. Manlius.* Ego nuper puero qui omnimoda vrinæ suppressione laborabat, aliquot grana iuniperi comedenda porrexi: & iussi superbibere haustum decoctionis iuniperorum ex vino, & statim vrinã reddidit & lapillum excreuit. Exper. Cochlear aquæ vitę ex baccis iuniperi cum tribus guttis olei iuniperi sumantur doloris tempore: Exper.

1. Labruscæ aqua distillata prodest ad expellendum arenulas: *Georgius Pictorius.*

2. Lapathum rumexve calculos vesicæ comminuit: *Dioscorid.* Lapathij acuti decoctum ex vino potum calculos renum frangit: idem præstat radicum siccarum puluis: *Mathiolus.* Rhabarbari Monachorum (quod est e rumicis genere) radix contrita ex vino albo meraco pota renum calculos pellit: Idem.

3. Lapis ab ægris lotio reiectus lapidem frangere scribitur: *Galenus: Aëtius: Hollerius.* Lapis humanus potui datus ieiuno frangit lapidem: *Petrus Hispanus.* Tritus & potatus frangit vesicæ lapidem: *Fuchsius.* Aliqui affirmant quod lapis genitus in renibus, per lotium eiectus puluerisatus & exhibitus in aqua saxifragę, sit medicina laudabilis, & a proprietate educat lapidem renalem. Simili modo dicunt de lapide genito in vesica, quod a proprietate educat lapidem vesicę. Ego certa experientia ductus, exhibeo cum aq. florum Chariophylleæ sylvestr. vel cum aqua polygonij: *Leonellus Fauentinus.* Lapis qui exiuit ab homine, pulverisatus multum frangit, scilicet renalis renalem, vesicalis vesicalem, licet *Galenus* hoc dicat esse mendacium: *Marcus Gatynaria.* Lapidem ab homine exectum in hoc casu quoque probat *Iacobus Syluius.*

4. Lapis Lyncis calculosis mirifice conferre creditur: *Fuchsius.* Datur a drachma semis ad drachmam vnam vel duas: debet minutissime teri (hoc commune præceptum iubet *Galenus*

in testa-

in testaceis & lapidosis omnibus obseruari) & assumi ex vino albo, vel aqua graminis, aut aliqua substantia tenui, quæ penetrat ad renes. nam hic sicut & Iudaicus magis pondere suo calculos deturbant quam proprietate occulta, & debent maiori quantitate assumi: *Rondel.*

5. Lappæ minoris semen ex vino albo calculos pellit: *Ant. Fumanell.* Vide *Bardana.*

6. Larigna resina renes expurgat, calculos expellit & vrinam ciet, præsertim si cum benedictæ simp. sesquidrachma deuoretur: *Mathiol.*

7. Lauri radicis cortex calculos rumpit si ex vino fragrante bibatur triobolari mẽsura: *Galenus.* Succus radicum lauri cum vino albo bibitus frangit lapidem vesicæ: *P. Bayrus.* Cortex lauri & eius baccæ bibitæ lapidem frangunt: *P. Hispanus.* Tusus lauri cortex tertia drachmæ parte in vino potus calculum frangit: *Ad. Lonicerus.* Grana etiam lauri lapidem frangunt.

8. Lepus integer cum pelle operculato fictili impositus (cum croco: *Hollerius.*) in clibanoque igne succenso tamdiu dimissus, vt penitus exuratur, vrinæ vitijs mirifice opitulatur, adeo vt calculos eijciat, tam in vesica quam in renibus genitos: *Mathiolus.* Cinis leporis combusti, quem hodierni experimentatores concinnantes sequenti modo præparant, ad calculos renum & vesicæ atterendos comminuendosque facit: accipiunt leporem viuum, postea strangulatum, ita ne ex eo quicquam sanguinis deperdatur: alij, vt *Auicenna* & plures, totum leporem iugulatum accipien-

dum contendunt, quem vel totum vel in olla dissectum comburunt: alij, vt *Aëtius* & quem citat *Marcianus*, leporis tantum pellem desiderant, quam in ollulam conijciunt & in furno exiccari permittunt, vt probe conteri possit: ex hoc puluere cochlearium vnum cum vino ieiunis in solij calidæ aquæ inscensu præbe: *Galenus: Amatus Lusitanus.* Leporem prægnantem sumito, iugulatoque, & cum sanguine combustum tritumque pluribus diebus patienti præbeto cum cicerum decocto, cibo præassumpto ex cressionibus: ipsius etiam leporis puluis, intestinis tamen euulsis, exhibetur quaque die drachmarum duarum pondere: *Antonius Fumanellus.* In mense Martio adusti leporis cinis cum vino potus calculo fert opem: *Adamus Lonicerus.* Experimentum Comitissæ Arenbergicæ. Leporis sanguinem & pellem totam cum pilis combure in olla cruda: da cineris cum aqua calida cochlearium vnum ieiuno, rumpit enim lapides & expellit: *P. Bayrus.* Hoc experimentum nosipsi fecimus, mox deliquescet lapis & eijcietur foras. ne dubites: *Sextus Platonicus.* Leporis renes siccos in sole coctos derasos in potione dato, mire sanant: Idem. Leporis renes siccati & inueterati in vino poti quatuor scrupulorum pondere calculos pellunt: *Hollerius.* Puluis ossis calcanei leporis commendatur ad calculum: *Marc. Gatyn. Hieron. Braunsvveig* puluerem leporis integri cum pelle & pilis combusti excipit melle pro Electuario, de quo exhibet bis interdiu, mane & sero ad

quanti-

quantitatem Castaneæ: in libello Germanico. Renes leporis in puluerem comburantur, de puluere da drachmā semis aut integram drachmā cum aqua petroselini aut raphani, mane & sero: Idem ibidem. Leporis renes crudi pręsertim adhuc calentes deuorati mirifice calculosis auxiliantur. Quinetiam cocti idem præstant: *Mathiolus*. Contra calculum experimentum esse certum tradunt, vstum cinerem leporis ex vtero matris exempti: *Adamus Lonicerus*. Leporis pellis in ollam cōijcitur: vbi vsta fuerit accepta teritur, & ex ipsa cochlearium præbetur calculoso, ex vino: *Nicolaus Piso*.

9. Ligusticum balneis & insessionibus calculum adiuuat: *Adamus Lonicerus*. Radix in vino cocta calculos pellit: Idem.

10. Limacia: in capite grossæ limaciæ inuenitur lapis, qui tusus & datus potui cum vino calido statim facit mingere lapidem: *P. Hispanus*. Accipe limacum terrestrium viuorum quantum placet, abiectis domunculis in poculo bene lutato assentur, horum cineres cum vino Rhenensi sæpius ægro propina.

11. Limonum succus a multis commendatur ad calculum: *Hollerius*. Limonum aq. stillatic. aut succi vnciæ duæ cum decocti Raphani vncijs tribus calculoso conducunt: *Antonius Fumanellus*. Accipe succi limonum immaturorum vnciam vnam, vini Maluatici vncias tres, misce, hoc totum detur patienti: *B. Victor. Fauent*. Limonis immaturi succus sesquiunciæ pondere cum vino potus calculos renum pellit: *Mathiol*.

Aqua limonum alembico extracta aut succus vnciarum duarum pondere, cum vncijs tribus decocti Raphani si pro vice sumantur sufficiunt ad renum lapidem: *Gesnerus.*

12. Linariç radix exhibita drachmç vnius pondere cum vino & aqua frangit & expellit lapidem. ipsius tertia species heliochrysos dicta in desessionibus calculo medetur: *Ad. Lonicerus.*

13. Locustæ marinæ testam crematam & tritam dato ex mero bibendam ad renum calculos expurgandos: plurima enim per vrinam excernitur arena: *Aetius.* Vide *Grilli.*

14. Lupini vim calculi confrigendi habent: *Alexander Trallianus.*

15. Lupuli suffitus calculo laborantibus confert: *Adamus Lonicerus.*

16. Lupus piscis. Calculo grauiter laboranti exhibeatur puluis maxillæ piscis lupi cum vino albo aut aqua decoctionis maluæ & saxifragæ per duas horas ante cibum: *P. Bayrus.* Puluis mandibularum lucij, ad calculum secretū quibusdam remedium, datur ad drachmam vnam cum vino albo vel aqua appropriata Raphani, apij, petroselini & similium: *Marcus Gatynaria.* Lucij prçsertim saliti maxillæ puluis vel costæ cinis drachmæ vnius pondere potus vesicæ ac renum calculos conterere dicitur: *Antonius Fumanellus.* Aduersus calculum multi de experientia magnificant puluerem pellis lucij piscis cum aq. parietariæ ex vino albo haustum: *Antonius Mizaldus.*

1. Maluarum succus potus calculosis confert: *Anton.*

Anton. Fumanellus. Anton. Mizaldus. Semen Maluę cum vino albo bibitum frangit lapidem renum: *P. Bayrus.* Decoctio maluæ campestris in brodio caponis addendo butyri recentis & mellis ana vnciam vnam, si bibatur libra vna ad minus per duas horas ante cibum calide, valet mirabiliter ad præseruandum & curandum: mundificat enim renes & ventrem lenit: *P. Bayrus.* Maluæ folia in sacculo in aqua cocta, calculosis prosunt, si aquæ patiens insideat: nam meatus vesicæ laxant & aperiunt: *Adamus Lonicerus.*

2. Marrubium: noui Romæ Empiricum qui in suppressione vrinæ ex calculo feliciter exhibebat succum Marrubij vel puluerem ex vino albo. Experimentum vidi in puero octo annorum (filiolo Nobilis viri Horatij de Maximis, ciuis Romani,) qui cum duobus diebus nihil omnino vrinę reddidisset, ebibito huius succo cum vino albo, cum vrina lapidem reiecit.

3. Matricaria sine flore a calculosis magna vtilitate bibitur: *P. Bayrus: Anton. Fumanellus.* In vino decoquitur ad calculum: *Q. Apollinaris.*

4 Mel etiam confert calculosis. *Simeon Sethi.* Ne lapis in vesica incrementum accipiat, vel semel ex renibus propulsus denuo generetur, accipe mellis recent. libras duas, terebinthinæ Venetæ libram vnam: destilletur inde aqua lento igni, de qua sumat vnciam vnam pro vice: Exp.

5. Melilotum quocunque modo vsurpetur conducit ad calculum: *Q. Apollinaris.*

6. Mergi hepat aridum potum calculos pellit: *Paullus.*

7. Meſpilorum oſſicula in puluerem contrita calculos e renibus pellunt, vbi cochlearis menſura ex vino in qua petroſelini vulgaris radices decoctæ fuerint, ebibantur: *Matthiolus.* Seminum (oſſiculorum) puluis lapillos vehementer ex renibus eijcit, vrinam cit, & veſicæ lapidem comminuit: *Anton. Muſa. Braſauolus.* Oſſiculorum puluis cochlearis vnius menſura ex vino albo cum puluere aniſi datur ad renum lapillos: *Ant. Mizaldus.* Eſt ſane memorabile dignum, quod licet Meſpilorum caro adſtringentis ſit naturæ (de immaturis loquor) nihilominus puluis eius lapillos in renibus vehementer comminuit: cuius rei periculum efficaciſſimum a ſe factum teſtatur *Antonius Muſa.* Idem.

8. Milij ſolis ſemen cum vino albo ebibitum renum & veſicæ lapides confringit: *Paullus.* Lithoſpermum hanc vim habet, vt ſemine cum vino albo poto calculum frangat: *Dioſcorides.* Tritum ſemen in vino potum calculum veſicæ frangit & efficaciter pellit. Decoctum ſeu balneum ex folijs lithoſpermi calculi dolorem mitigat, ac plurimum ad calculum pellendum facit: *Adamus Lonicerus.* Semine ex vino poto calculos comminuit: *Fernelius.*

9. Millefolio quidam vtuntur ad calculum ſi ex aceto bibatur: *Q. Apollinaris.* Accipe ſem. millefolij, pulueris Nucis moſch. ana drachmam ſemis, olei oliuarum q. ſ. ad pulueres excipien-

excipiendos, ſumat cochlear mane & veſperi, lapidem per fruſta comminuet: Exper. hoc organiſta quidam vſus lapillos aliquot excreuit.

10. Motacilla auis (alijs cauda tremula dicta) mirabilis virtutis eſt ad frangendum lapidem: comburitur cum ſuis pennis (quidam illam volunt deplumandam) in ollula in furno vt in puluerem redigi poſſit: accipe huius pulueris drachmam vnam cum aqua ſaxifragæ vel vino potenti pro vice: *Leonell. Fauent.* Calculum renalem frangere putatur ſi drachma vna cum vino albo aut aqua appropriata detur: *Marcus Gatynaria: Valeſcus de Tharanta.*

11. Muſcerda (murium ſtercus) trita potaque veſicæ calculos comminuit: *Galenus.* Stercus murium in aceto tritum potumque calculum excludit: *Paullus.*

12. Muſcus terreſtris in vino decoctus lapidem veſicæ frangere & educere experimento certo dicitur: *Mathiolus: Adamus Lonicerus.* Idem præſtat liquor eius ſtillaticius: Idem: *Io. Huernius.*

13. Myrtus ſylueſtris folio ſemineque ex vino potus ad calculos veſicæ rumpendos vtilis eſt.

1. Napus: ſunt qui Napo orbiculato oleum accommodatum immittunt, napum coquunt: deinde ad modum emplaſtri pubi admouent in calculum: *Hollerius.*

2. Nardinum oleum renum calculis opitulatur: *Adolphus Occo.*

3. Nigella, vide *Gith:*

4. Nuces: Auellanæ nuces cum internis ſuis

membranulis initio prandij & cœnæ assiduè comestæ lapidis renũ materiam absumunt. Sed qua facultate operentur dubium est, an forte sua siccitate & facultate in membranula interiori comperta. Sed non desunt alij, qui hoc operari sua nuclei parte oleosa contendunt: *Amatus Lusitanus*. Nuces auellanas inter eas medicinas, quæ lapidis renum materiam absumunt, posuit *Auicenna*. Auellanarum testas quidam laudant ad calculum: *Hollerius*. Sequens medicamentum expertum est ad lapidem puerorum: Accipe septem nuces virides, pista eas cum exteriori cortice: item accipe porrorum manipulum vnum, non lotorum, & extrahe succum ab vtroque & cola, miscendo vtrunq; simul, & da puero septem dieb. & quando ibit dormitum, vnge virgam, testes, perinæum, ex oleo de been calido, aut oleo antiquo: *P. Bayrus*.

1. Ophites lapis ex vino albo ac tenui potus lapides vesicę conterit atq; confringit: *Galenus*.

2. Ossifragus: Venter eius auis quam Latini Ossifragum appellant, particulatim potus, calculos cum lotio pellere proditur: *Dioscorid.*

3. Ouis omentum in sartagine calefit & apponitur pubi: *Christoph. VVirsung.*

4. Ouorum cortices ex quibus pulli exierint triti drachmarum duarum pondere cum parietariæ succo bibiti, lapidem eijciunt: *Antonius Fumanellus*.

1. Pæonia: Ad renum calculos, si magni sint, vt per eos vrinarum facta sit retentio, pulchre auxiliatur pæonia herba ex mulso pota: datur

autem ex radice ipſius ſcrupulorum duorum aut trium inſtar: *Alexander Trallianus.* Eius grana bibita puerorum lapidem frangunt: *Dioſcorides.* Pæoniç grana tuſa & pota lapidem in puerorum veſica generari prohibent: *Ad. Lonicerus.* Seminis grana ſumpta calculorum rudimenta pueris eximunt: *Fernelius.* Arida pæoniæ radix tuſa, amygdali magnitudine cum vino ſumpta calculum veſicæ & renum pellit: *Adamus Lonicerus.*

2. Palumborum ſtercus: Vide *Columbus.*

3. Palyuri folia bibita ex decocto veſicæ calculos diſſipant: *Aëtius.* Idem & ſemen præſtat, & radix per ſe aut vtrunque ſimul: *Dioſcorides.* Palyuri fructus tantam habent diſſecandi vim, vt lapillos atterat: *Paullus.* Ad calculum comminuendum decoquere oportet palyuri ſemen: item ramenta palyuri, id eſt, ramum nigrum potiſſimum dictum: *Rondeletius.*

4. Papaueris corniculati radix in aqua ad dimidias cocta & pota prodeſt his qui craſſa quçdam & arenoſa cum lotio mingunt: *Dioſcorides.*

5. Parietaria ſuper tegula calefacta vinoque Cretico irrorata & pubi impoſita calculoſis mirifice auxiliatur: *Mathiol.* Parietariæ ſuccus vino albo exceptus & recenti oleo amygdal. dulcium remiſtus & tranſuaſatus ad ſæuas ex calculo tyrannides exhauritur: *Antonius Mizaldus.* Parietariæ aqua contra calculum veſicæ proficit: *Geſnerus.*

6. Paronychia renum calculos pellit: *Mathiolus.*

7. Paſſer Troglodytes (qui omnium auicularum excepto regulo minimus ſpectatur, & iuxta ſepes ac muros victum quæritat) quocunque modo exhibitus me experiente calculoſos iuuat: *R. Solenander.* Idem ſale conditus & crudus in cibo acceptus concretos calculos lotio expellit, & ne renaſcantur prohibet, ac morbum perfecte ſanat: *Fuchſius.* Conditur optime pennis euulſis atque inde largo ſale adobrutus, arefactus comeditur. Si plures adfuerint coqui poſſunt more aliarum auicularum. poſſunt etiam non deplumes vri in olla operta, & cinis vnius vſti cum pauco pipere & cinnamomo exhiberi. ſunt qui viuum pennis præuulſis cõdiant ſale, quod melius eſt: alij aſſatos edunt integros, vt nihil ex ijs præter pennas abijciant: *Aëtius: Paullus: Amatus Luſitanus.*

8. Pentaphyllon radice & herba menſe Maio diſtillatur, aqua diſtillata vtiliter ad calculum bibitur: *Q. Apollinaris.* Valet ſpecialiter ad materiam in renibus arenoſam: *Georg. Pictor.*

9. Peponis ſemen renibus calculo vexatis eſt accommodum: renum calculos efficaciter deturbat: *Antonius Mizaldus.*

10. Perſicorum nuclei maxime laudantur ad præſeruationem a calculo, ſi decem vel duodecim dentur edendi mane in principio prandij vel paulum ante id, & ſtatim album aliquod non admodum imbecille vinũ in exigua quantitate ſuperbibatur. *R. Solenander.* Accipe nucleorum oſſium perſicorum quinquaginta, nucleorum oſſium ceraſorum centum, florum

ſambuci

ſambuci manipulum,vini cretici odorati libras tres: excipiantur hæc omnia fictili nouo & ſepeliantur in fimo diebus decem, deinde diſtillentur vitreis organis. Aqua quæ inde effluxerit,pota ante cibum quatuor vnciarum pondere, mirum in modum renum calculos pellit: *Mathiolus*. Oleum ex perſicorum nucleis potandum datur calculoſis vnciarũ quatuor pondere: Idem.Gummi perſicorum in vino diſſolutum potumque calculum veſicæ pellit: *Ad. Lonicerus*. Perſici arboris lacryma datur calculoſis cum ſucco Raphani aut limonum, aut ex vino drachmarum duarum pondere: *Mathiol.* Recipe nucleorum perſicorum torrefact. vnciam ſemis, oſſium meſpilorum drachmam vnam, pulueriſentur omnia ſubtiliter, & cum aqua ſaxifragæ q. ſ. diſſoluantur: da patienti in ipſo paroxyſmo a lapide renum: *B. Victorius Fauentinus*.

11. Perſonata, vide *Bardana*.

12. Petroſelinum, vide *Apium*.

13. Peucedani radix ad renes ducit & calculum frangit: *Antonius Fumanellus*.

14. Phalaridis thyrſus frangit calculos ex vino vel aceto, lacte & melle potus: *Paullus*.

15. Phelandrij a Plinio deſcriptæ herbæ ſemen propter calculos & veſicæ incommoda bibitur: *Adamus Lonicerus*.

16. Phu. (Valeriana.) cocta, pubi ſuperimpoſita lapidem eijcit: *Antonius Fumanellus*.

17. Pimpinella cõdita calculoſis auxliũ pręſtat. Eiuſdem radix renes a calculis expedit: *Mathiol.*

18. Pini gummi frangit lapidem: *Petrus Hispanus.*

19. Pisum: pisorum iusculum seu antiquorum pureta vtiliter hauritur a calculosis seq. modo præparat. Macerantur per noctem pisa vel ciceres in aqua dulci: postridie ebullitionibus aliquot blande feruent: colatura mundo vase excepta, appetente hora pastus cum vini albi tantillo & pauco spicæ nardi puluere, nec non mediocri sale & croco vnica ebullitione rursus feruet, ac tum demú prima mensa hauritur. Iusculum id aperit ac deterget capillares venas hepatis, & vrinæ vias emundat, vnde corpora a calculo & arenulis eximie tuetur & præseruat, maxime si præmollita fuerint pisa aut ciceres in aqua decoctionis radicum petroselini, & quo dictum est modo, percocta: Exp.

20. Polemonia contra calculos in grauissimis cruciatibus bibitur ex vino: *Antonius Fumanellus.*

21. Polygoni minoris vniuersæ plantæ puluis ex vino haustus renum calculos pellit: *Mathiolus.* Aqua stillaticia polygoni commode propinatur ad calculum: *Reinerus Solenander.* Vesicæ lapides atterit & eijcit paullarim, vbi diutius quotidie eius puluerem ex vino bibant affecti drachmæ vnius pondere: Idem.

22. Polygonati aqua stillaticia calculum lumborum pellit: *Adamus Lonicerus.*

23. Porri semen vesicæ lapidem conterit: *Antonius Fumanellus.*

24. Por-

24. Portulacæ ſuccus exiccatus, deinde in aqua aliqua aut decoctione diſſolutus calculos renum comminuit: *Rondeletius.*

25. Pſeudocoſti radicem calculos eijcere affirmant, ſiue bibatur ipſa radix, ſiue decoctum eius, aut ſi in fomentis, balneis & deſeſſionibus addatur: *Mathiolus.*

26. Prunorum gummi ex vino potum calculos frangit: *P. Bayrus.* Gummi ex pruno arbore cum vino potum calculum veſicæ frangere ferunt: *Ad. Lonicerus.* In vino potum calculos frangit: *Antonius Mizaldus.*

27. Pulegium lapidem frangit: *Galenus.*

1. Quercus: aqua ſtillaticia quæ in balnei calentis aquę vitreo organo elicitur a tenellis eius folijs primo ipſorum ortu decerptis, renũ calculos comminuit: *Mathiol. Io. Huernius.* Glandium puluis potus (ex vino vel liquore conuenienti) calculo medetur: *Adamus Lonicerus.*

1. Raphanus Nephriticis calculo vexatis appoſite medetur, maxime ſi quis partem illius externam cum vino albo & aqua coctam vel tuſam, nec non percolatam ieiunus diluculo hauriat, & dies aliquot id facere perſeueret: *Anton. Mizaldus.* Acetum Raphanatum ad calculos renum atterendos & deturbandos ſeq. modo fit: Radices Raphani ſiccatas in pulucrem redigito, deinde in vas quod vinum habet infundito, miſceto, ac dies aliquot quieſcere ſinito. ſic acetum comparabis Raphanatum ad prædicta ſummopere vtile: Idẽ. Ad dolores Nephriticos a calculis (& ad colicos a flatibus)

accipe corticum acerrimi Raphani vnciam vnam, ossium mespilorum drachmas duas, blande conquassata macerentur horis octo in vini albi vncijs quatuor, dein percolata & modice calentia propinentur in ingressu & egressu lecti: itereturque potio si opus erit, dosim eius augendo vel minuendo pro corporum & ætatum modulo. *Alexander Petronius*, Præceptor meus in Vniuersitate Romana. Multi aduersus calculum & tophos arenaceos in corpore concretos aquam e corticibus vel toto corpore Raphanorum expressam cum vino albo & puluere Terebinthinæ, ex adustione vel reficcatione ad solem, salubriter & successu admodum felici exhibent: *Anton. Mizaldus.* Recipe corticum Raphani fortissimi vnciam vnam, vini albi odoriferi vncias octo, misce & stent in infusione per horas duodecim: deinde coletur vinũ, & ipsum tepidum exhibeatur patienti, & lapidem projjciet: *B. Victor. Fauent.* Ego hoc remedio vsus sum in quodam rustico, qui postridie post assumptionem huius potionis excreuit duos lapillos ciceris magnitudine. Raphanus vterque tum radice tum semine renes expurgat, vrinam ciet, calculos comminuit & exturbat: *Fernelius.* Raphani syluestris succus cum melle & aceto decoquitur & in Eclegmate datur: *Adamus Lonicerus.* Raphanus totus conquassatur, ac limonum succo affunditur, atque hinc distillatione elicitur liquor ad calculum conterendum idoneus: *Io. Huernius.*

2. Resinę omnes renum calculos & arenulas exigunt:

exigunt: inter omnes præſtat Terebinthina (de qua vide in litera T.) poſt hanc quæ ex larice colligitur, & quam abies fundit: (de quibus vide in L. & A.) calculos enim hærentes detrahunt, remorantesque arenulas: *Antonius Fumanellus.*

3. Robur, vide *Quercus.*

4. Roſæ ſylueſtris (Cynoſrodi) ſpongiolæ ac fructus mirifice valent contra calculum, ſi læuigatæ in puluerem exhibeantur, vel in viuo coctæ & calidæ ſumptæ. Quin repertos in iiſdem vermiculos maius ad hoc præſidium eſſe quidam affirmant: *Adamus Lonicerus.*

1. Sabina: Ego vſus ſum ſabina ad calculum renum, & profuit dando eius puluerem in potu in balneo ſedenti: *L. Iachinus.*

2. Salicis folia bibita cum vino albo frangunt & expellunt lapides, & arenas a renibus & veſica: *P. Bayrus.*

3. Saluia: Expertus ſum quod ille qui frequenter de mane ſumit de ſaluia, comedendo duas vel tres cimas piſtatas cum vino ſubtili diſtemperatas, præſeruabitur a lapide: *Valeſcus de Tharanta.*

4. Sanguis menſtruus ſiccatus tritus & potui datus frangit lapidem ſuper omnia: *Petrus Hiſpanus.*

5. Saxifraga præcipue expetitur ad renum & veſicæ calculos comminuendos. Saxifragæ albæ & herbæ & radicis decoctum ex vino albo paratum renum calculos frangit & educit: efficacius tamen, ſi ex eodem decocto radicis

granosæ farina drachmæ vnius pondere propinetur. Quinetiam datur eadem farina per se ex vino drachmarum duarum mensura: atqui felicius hæc potio sumitur dum affecti in labro balnei se fouent. Saxifragæ albæ folia cum radice in vino decocta renum & vesicæ calculos pellunt. idem præstant & granula quæ radicibus adhærent si tusa deuorentur: *Mathiolus.* Saxifragam maiorem miris laudibus mihi cõmendauit calceolarius ad calculos renum educendos: Idem.

6. Scorpius assus cum pane comestus pondere dimidij scrupuli vesicæ calculos conterit: *Galenus.* Et oleum quod ex eo conficitur particulæ illitum cui inhæret, calculum educit, vel colo, vel pubi, vel perinæo: Idem. Cinis scorpiorum multum fortis est in frangendo lapidem. dosis eius est semiscrupulus: *Marc. Gatyn.* Accipe scorpiones viuos olla vitreata optime cooperta, quam in furno desines quoad scorpiones exiccentur, vt ex eis puluis parari possit, cuius vsus ad lapidem: *Amatus Lusitanus.* Scorpionum oleum ad comminuendum calculum valere putatur, si hoc oleo pecten & perinæon inungantur, aut si gutta olei virgæ infundatur: *Hollerius.* Oleum scorpionum pubi inunctum vesicæ calculum frangit: *Nicolaus Byesius.* Oleum scorpionum illitum conterit lapidem: *Nicol. Piso.* Oleum scorpionum vesicæ & renum calculum dissipat, lumbis, pubi, perinæo in solij egressu illitum & in porum vrinarium immissum: *Adolphus Occo.* Scorpius marinus

rinus in vino necatus, vesicæ calculos sanat: *Plinius.*

7. Scylla. scylliticum acetum, confectiones aut oxymel ex scylla calculum frangunt, educuntque: *Adam. Lonicerus.*

8. Serapinum cum succo Rutæ dissolutum lapidem frangit: *P. Bayrus.* In succo Rutæ dissolutum calculum vesicæ potenter frangit: *Adamus Lonicerus.*

9. Serpylli vtriusque semen ex vino potum calculos pellit vnciæ semis pondere: *P. Bayrus.*

10. Seseleos, radix & semen calculo renum prosunt: *Adamus Lonicerus.*

11. Siligo: ex gramine seu folijs siliginis aquam stillaticiam nonnulli eliciunt ad calculum renum: *Adamus Lonicerus.*

12. Sion: Sij folia siue cruda siue cocta comesta calculos comminuunt & excernunt: *Adam. Lonicerus.* Calculos renum frangit: *Galenus.*

13. Sisymbrium calculos conteret, si huius plantæ succi scrupuli duo potui dentur. Sisymbrium aquaticum vel crudum vel coctum primis mensibus esitatum calculos minuit. Sisymbrij semen cum vino contra calculos bibitur: *Dioscorides.* Aqua distillata ex sisymbrio Cardamine calculos pellit bis interdiu pota vnciarum duarum pondere: *Q. Apollinaris.*

14. Smaragdus si tritus sumatur calculosis maximum est remedium.

15. Spongites lapis: lapides in spongijs inueniuntur qui vesicæ calculos rumpunt, in vino poti: *Dioscorides.* Spongites lapis abstergendi vim habet, sed non tam efficacem vt vesicę cal-

culos disterat; renum vero atterit: *Galenus: Aëtius.* Spongiarum calculi renum calculos comminuunt: *Amatus Lusitanus.* Lapides qui in spongijs reperiuntur renũ lapillos cõfringunt.

16. Squinanthi flos frangit lapidem renum & vesicæ: *Pet. Bayrus.*

17. Stercus humanũ: aqua de stercore humano per alembicum distillata si detur cum calce soluta, renum & vesicæ lapidem frangit: *Gesnerus.* Sed hoc & similia remedia quæ ex alui & vesicæ recrementis parata sunt, a Galeno improbantur, & a nobis omitti debent, si meliora in promptu sunt.

18. Struthij radix cum panace & capparis radice calculos frangit, & cum vrina exturbat. *Mathiolus.*

19. Sulphur: plurima balneatio in thermis sulphureis frangit lapidem: Similiter, si infundatur in eis pannus & calidus applicetur loco lapidis, operatur ad exitum eius: *Ruffus.* Balneo in aquis sulphureis lapis frangitur: *Auicenna.* Probatum quoque multis balneum sulphureũ ex aquis naturalibus, vel subquadruplo sulphure liquato in quadrupla aqua: alij in eiusmodi aquam calidam lintea immergunt & calida perinæo ac pectini circumponunt: *Hollerius.* Sulphuris oleum guttulis aliquot cum melicrato datum dissoluit renum lapidem: *Gesnerus.* Balnea sulphurea valent ad calculum: si non sint parata, bulliatur Sulphur in aqua, spongia intingatur & calida pectini applicetur: *Gordonius.*

1. Tanacetum: non desunt qui præstanti admodum

modum remedio ad comminuendos renum calculos vtuntur Tanaceto, eius folia decoquendo in vino dulci: *Anton. Mizaldus*. Tanaceto recentiores vtuntur ad frangendos renum calculos. Sed id viris magis quam mulieribus commendant: *Mathiolus*.

2. Terebinthina ad cautionem calculi potius quam ad exclusionem imperanda est: *Nicolaus Piso: Hollerius*. Eaq; multis modis vtimur. Recipe Terebinthinæ vncias quatuor, inuratur in lamina ferrea candente, vt possit infriari. dabis eius pulueris drachmas duas cum vncia aq. Saxifrag. Chamæmeli vel genistæ & vncia Oxymelitis. Hoc quod sequitur excludendo calculo satis esse potest, vbi prius lenieris & relaxaueris: Recipe, Terebinthinæ vnciam semis, lithontribi drachmas duas, misce pro bolo. Aliud, Recipe Terebinthinæ lotæ decies in aqua saxifrag. vnciam semis, cum saccaro fiat bolus. Hoc vero datur tempore paroxysmi sicut & quod sequitur: Recipe Therebinthinæ lotæ in aqua violarum drachmam semis, Benedictæ (ex Rhasis descriptione quæ Turbith nō recipit, attamen huius loco recte substitues hierę picrę drachmas duas; *Ant. Valetius*) drachmas duas. Aliud, Recipe Terebinthinæ lotę in aq. halicacabi drachmas duas, pul. tragacanthi & glycyrizæ ana drachmā & dimidiam, incorporentur in vnciæ semis cassiæ, cum saccharo fiat bolus. ad idem aqua ex Terebinthina stillata faciet: *Hollerius*.) Imo potius ad curationē quam ad præuisionem præscribenda Terebin-

thina: *Antonius Valetius.* (Meo iudicio licebit vtrouis tempore præſcribere ſiue ad præſeruandum ſiue ad curandum, modo cum liquore appropriato detur.) Quidam pro ſingulari remedio habent in cura lapidis renum Terebinthinam: nam iuuamentum eius eſt maximum: lenit enim ventrem, mundificat renes & veſicam. Eſt quidem ſingulariſſimum & expertum remedium, dando ab vncia ſemis ad vnciam vnam. capitur nebula, & infunditur in vino, deinde in illa inuoluitur Terebinthina & ſic ſumitur; vel accipitur cum brodio gallinaceo: *Marcus Gatynaria.* Oleum e Terebinthina calculum educit & arenas promouet: *Adolphus Occo.*

3. Thuris granum cum vino mulſo calculum terere creditur.

4. Tilia: Aqua florum tiliæ confert calculo renum: quidam Tiliæ carbones admiſcent. doſis ab vncia ſemis ab vnciam integram: *Geſnerus.*

5. Tragij ſeminis, foliorum vel lacrymæ drachma vna pota veſicæ calculos frangit: *Dioſcorides: Adamus Lonicerus.* Tragium lapides frangit drachmæ vnius pondere potum: *Galenus.*

6. Tribuli viridis decoctum calculos eijcit: *Aëtius.* Tribuli vtriuſque ſemen recens potum calculoſis iuuamentum affert: *Dioſcorides.*

1. Venæ

1. Venæ ſectio. In renum calculo dum renibus adhuc fluxus imminet e cubito ſanguis eſt auferendus, aut ſi virtus imbecillis extiterit. Si vero deſierit fluxus & virtus fuerit valida, venam quæ in poplite eſt aperiemus, aut ad malleolos: *Galenus*. Si ætas conſtans eſt & vires firmæ, habituſque corporis non plane longitudine morbi aut dolorum acerbitate attritus & diſſolutus, omnino tibi auctor ſum, vt cures internam brachij venam aperiri, eius nimirum quod e directo reſpondet magis affecto reni: paucis deinde intermiſſis diebus aperies venam poplitis, aut circa talum alterutrum, ſi alter ex renibus plus altero laborat: aut venis circa talum in vtroque pede apertis, ſi ex æquo renes ſunt affecti, ſanguinem demes: *Reinerus Solenander*. In dolore vehementi ex renum calculo ſanguis detrahi poteſt e poplite vel malleolo: Stante plenitudine e cubito prius: *Hollerius*. De calculo atterendo cum cogitet medicus, præpurgata prima corporis regione, blando cathartico aut leni clyſtere, toti proſpiciet corpori ſectione venæ: Si plenitudo adſit, ſi fluxionis metus & inflammationis in propinquo ſit, ſi dolor intolerabilis atque adeo grauis febris vrgeant, viribus alioqui conſtantibus, pertunditur vena auxiliaris interna cubiti e directo: *Ant. Valetius*. Quum lapis in renibus obturatus vehementiſſimos dolores intulerit, ne ſcilicet ſanguinis multitudo tenſione & dolore

ad affe-

ad affectam particulam procumbat, in corpore plenitudine laborante & robusto, confestim poplitis vena (iuxta Hipp. consilium libro 6. Epid. part. 1. aph. 5.) incidenda erit, eius nimirum cruris quod stupet, & e directo est renis patientis: *Fuchsius.*

2. Verbenacæ radix contusa ex mulso optimo tepida datur, incredibiliter calculosis succurrit: *Anton. Fumanellus.* Verbena tota contusa, succus epotus, vel decoctum iuuant calculosos: *Q. Apollinaris.* Eiusdem aqua stillaticia bibita calculos vesicæ rumpit: Idem.

3. Vermes terreni triti ex vino sumpti calculos conterunt: *Galenus.* Lumbrici terrestres exiccati calculosos iuuant: *Mesues.*

4. Veronica cum cauda equi & dauco in vino Hispanico coquitur ad calculum: *Io. Huernius.* Aqua stillaticia veronicę per aliquot dies vncię vnius & semis aut duarum pondere pota calculum renum expellit: *Adamus Lonicerus.*

5. Virga aurea: de Virga aurea vidi experimentum in quodam qui habuit lapidem in vesica, & comedit dictam herbam cum ouis omni mane per nouem dies, & fractus est lapis: *Arnoldus de villa noua.* Probatus mihi ad calculum virgæ aureæ dictæ herbæ puluisculus pondere vnius drachmæ in vino albo in aurora exhibitus: *R. Solenander.*

6. Virga pastoris in cineres comburitur: hinc ex Pictauiensi vino fit lixiuium ad calculum: *Io. Huernius.*

7. Vitis viniferæ lacryma, quæ veluti gummi

in caudice concrescit, ex vino pota renum calculos pellit: *Dioscorides*: *Ad. Lonicerus.* Mire dissoluit: *Ant. Mizald.* Sarmenta vitis comburuntur & extinguuntur in vino tenui aut liquore conuenienti, colatura bibitur: *Hollerius.*

8. Vitriolum: Olei vitrioli guttas aliquot quidam propinant ad calculum cum aqua saxifrag. vel Raphani: *Gesner.* Recipe ol. vitrioli drachmam vnam, vini Maluatici vnciam, misce & da calculoso hora afflictionis: *B. Vict. Fauent.*

9. Vitrum. Puluis vitri pondere aurei vel drachmæ vnius ex vino albo calculos efficaciter comminuit: *Galenus: Auicenna.* Vitrum in puluerem friatũ cum tenui vino albo sumptum calculos vesicę comminuit: *Paullus.* Alij vitrum combustum inque cinerem redactum porrigunt, & sæpius ignitum in aqua saxifragę aut simili liquore extinguunt, seq. modo: frustum vitri crystallini densum & perspicuum Terebinthina resina illinitur & prunis imponitur donec incandéscat, aqua extinctum iterum illinitur, excoquitur & extinguitur. vbi id septies iteratum erit, in subtilissimum puluerem atteritur, & seruatur ad vsum: *Auenzoar.* Vitrum tametsi crudum in puluerem friatum vino albo tenui & calido exceptum efficaciter vesicæ calculos frangere perhibetur: nihilominus combustum maiorem vim concipere creditur. debet comburi vt sequitur: Accipe vitrum album & clarum quale est crystallinum vtrunque attritum, quod ferreo cochleari exceptum vrere sinas quoad satis tibi videbitur: postea ipsum

in aqua stillaticia fabarum immergas, ac postea iterum vt primo exure, & deinde inter duos porphyrites lapides in pollinem redige, interim affusa aqua stillaticia fabarum, quo ad corallij aut margaritarum præparatum modum solitum redigatur, quo postea quando opus erit, vtere: *Amatus Lusitanus*, ex *Auicenna*.

10. Volubilis folia in desessionibus calculo medentur: *Adamus Lonicerus*.

11. Vomitus: vbi dolores ex calculo vrgent ante omnem aliam curationem pro doloris mitigatione (nisi quicquam obstet) Vomitum prouocare expedit, Galeno teste. Nam leuiores quidem a vomitibus euadunt ægrotantes, Hipp. & Galeno testibus, quoniam ab accessionibus sed non ab affectu liberantur: *Ant. Don. ab alto mari*.

12. Vrtica tanta absterſione valet vt renes infarctu expediat calculosque atterat: *Fernelius*. Vrticæ semen ex vino potum renum calculos pellit: *Christophorus VVirsung*. Ad præcautionem a calculo multum valet comedere vrticas nouellas: Idem. Honoratus Castellanus maxime probabat decoctum vrticę nouellę (ad pręseruandum a calculo) præsertim veris initio vsque ad Maium. Vrticæ decoctum succusque potus calculos rumpit: *Plinius*. Vrticæ aquam stillatam ebibitam ad calculum commendat *Michael Schrick*. Vrticæ mortuæ radix in vino decocta & ebibita calculosis succurrit: *Q. Apollinaris*.

13. Vul-

13. Vulpis ſanguis arefactus & tritus calculo veſicæ & renum medetur, (ſi drachmæ pondere ex liquore cõuenienti propinetur:) *Adamus Lonicerus.* Si de ſanguine vulpis circumlinatur virga, ſtatim rumpitur lapis: *P. Hiſpanus.* Sanguis vulpis recens potatus frangit lapidem: Idem.

Propter paginas ſequentes vacuas, adieci ſequentes Canones, & Aphoriſmos vndiquaque collectos, ad calculi curationem non inutiles futuros.

QVÆ ad calculi curationem adhibentur remedia, non ſunt vnius generis: nam quædam qualitate manifeſta videntur conferre, quia materiam calculi demunt; quia incidunt; quod attenuant; quod laxant; quod meatus, per quos calculus deduci debet, lubricos reddunt; quod atterunt quaſi; quod cõfortant; quod alijs commiſta faciunt penetrare; quod dolorem ſedant. Alia iuuant ex proprietate, quod tali aut tali facultate ſint prædita.

Ex his quædam ad præſeruationem, quædam ad curationem adhibentur.

Quæ calculum ex renibus exterminant, ſolent vt plurimum calida eſſe diuretica, hoc eſt vrinam mouentia: quæ quia ſanguinem ſolent quaſi liquare, fundere, & humores ad renes præcipitare conſueuerunt, eos plurimum onerare: vnde ad præſeruationem ijs vti minime tutum erit. Si quando vtendi neceſſitas incidat, corpore prius expurgato adhibeantur: & ſemel aut bis

ijs vsus & consecutus quod volebas, desistere rursus ab ipsis debes, ac minime per sanitatem uti.

Nam effectricem calculorum caussam adaugent, dum renes intemperatos igneosq; per calefacientia reddunt: (loquor de ijs quæ admodum calida sunt & acria) vt prompte alios assare calculos possint.

Ad præseruationem optimum erit bona victus ratione prouidere, ne humores crassi aut glutinosi in corpore procreentur; & si qui geniti sunt, a renibus diuertere vomitu; clystere aut leni medicamento per aluum euacuare.

Lapis vesicæ difficilior est ad comminuendum, tum propter eius duritiem, tum propter eius magnitudinem, tum etiam propter longinquitatem: nam debent medicamenta longius pertransire. debent quoque esse validiora ijs, quæ in calculo renum adhibentur: vnde

Non sequitur; quæ renum calculos comminuunt, eadem & vesicæ lapides conterere posse; sed bene e conuerso.

Aphorismi.

Quicunque Nephritici sunt, non sanantur post quadraginta annos; intelligendo per Nephritim, passionem renum omnem indifferenter.

Quum iam ætate paullum processerint, Tonsillæ, vertebræ (quæ in occipitio est) ad interiora luxationes, asthmata, calculi, &c. Hipp. aph. 26. lib. 3.

Quibus in vrina velut arenulæ subsistunt, his vesica aut renes calculo laborant. Aph. 79. lib. 4.

Lapis Renum & vesicæ est morbus hæreditarius, secundum Auicennam.

FINIS.